

quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, cupientes tam pium, ac salutare opus alias incubatum perficere, præinserta articula auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjungimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 29. Decernentes easdem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 30. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem societatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXIX.

Erectio episcopalis ecclesiæ Tudelensis

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **A**d universam agri Domini curam, et inspectionem, ubi primum fuimus, ex divinæ bonitatis consilio, nulloque Nobis assistente merito- rum suffragio vocati, nedum Nos plane ad hoc constitutos esse intelleximus, ut juxta verbum propheticum prava litium germina avellere, ac noxia quæque curarem destruere, ut fructuosa plantarem, atque ædificarem utilia, sed vicissim agnovimus vigilis esse, et industrii agricolæ studium præcipuum, ut ubi inspexerit partem aliquam ipsius agri bonis undique florentem arboribus, illic satagat coloniam instruere, novumque præficere cultorem, ut circa eam duplicatis operariorum labore, et industria nullum in posterum, quod mereatur succidi germen appareat, sed herbis ita salubribus virescere videatur, ut dulcia pabula fiant, quæ gregem eo advenientem valeant saginare, ac denique repetente Domino cujusque villicationis rationem, et Nos de injuncto nobis munere gaudeamus, et de traditis quisque sibi talentis relatos fructus uberius ei possit exhibere.

§. 2. Cum itaque, sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici per dilectum filium Hieronymum ducem de Grimaldi ejus apud Nos, et Sedem apostolicam oratorem Nobis facta nuper accepimus, in satis conspicuo nomine suo Navarrae regno insigne, ac perantiquum oppidum civitatis nuncupatum Tudelæ nullius diœcesis, aeris salubritate, solique, ac rerum humanarum feracitate, et opulencia, nec non habitatorum numero ad duodecim mille, quos inter plurimæ illustres nobilitate, paucissimæ vero pauperes respective numerantur familiæ ascendentium. Charissimum cum suo magistratu pro illius temporali regimie existat, quod inter cætera, et elargita privilegia illo vocis comitiis ipsius regni pro tempore habendis gaudet, et in quo diversis, et successivis temporibus moram, et sedem Navarrae reges habuere, et generalia ipsa prædicti regni comitia celebrata extiterunt, ac præter octo di-

Dat. Romæ
die 27. martii
1783
anno nono.Exponitur
præstantia ci-
vitatis Tudelæ,
et magnificen-
tia ecclesiæ
matriæ B. M.
Virginidicæ.Clausula sub-
lata, et deere-
tum irritans.Derogatio con-
trariorum.

versorum ordinum, et institutorum regularium conventus, et quatuor sanctionialium monasteria, clerique sæcularis amplitudinem, pluresque parochiales ecclesias, nec non tria, unum videlicet pueris projectis addictum, ac aliud peregrinorum curandorum, et reliquum magnifice extractum, et dotatione conspicuum, cum suo vicario, ac tribus cappellanis, pluribusque inservientibus probe munitum pro infirmis, tam civibus, quam exteris excipiendis respective instituta hospitalia, veluti mater existat sæcularis, et insignis collegiata ecclesia sanctæ Mariæ nuncupata in sua constructione fortis, et ampla, elegantique forma ex munificentia, ac pietate eorumdem Navarræ regum fundata, tribus navibus cum suis in forma crucis disposita brachiis, et choro centum stallorum pro varietate, et ordine classium distributorum numero referto, ac sacrarium suppellectilibus, sacris vasis, et paramentis ad pontificalia exercenda abundanter instructum habens, et unica plane in toto regno Hispaniarum existens, in qua stantibus omnibus, tam canonicis, quam cæteris infrascriptis eidem choro interessentibus non mediocri populi ædificatione divina celebrantur officia, cum suis insuper organo, magistro musices, sufficientique musicorum numero, nec non clericis, sacrista, aliisque cæteris pro servitio dictæ collegiatae ecclesiæ annuæ stipendio mancipatis.

Describuntur dignitates, canonici, aliquo beneficiati ecclesiæ collegiatae.

§. 3. Hujus autem tam insignis collegiatae ecclesiæ capituli, quod quatuor dignitatibus, videlicet decanatu cum ei perpetuo canonicè unitis canonicatu, et præbenda dictæ collegiatae ecclesiæ, quæ inibi principalis, et de jure patronatus dicti Caroli regis ex fundatione, vel dotatione, aut privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, ac cujus etiam canonicatus, ac præbendæ illi, ut præfertur, unitorum hujusmodi fructus, redditus, et proventus ad quadraginta quatuor mille, ac ducentos, et octoginta quatuor regales de Vellon monetæ illarum partium annuatim ascendunt, cuique palatium ipsi contiguum collegiatae ecclesiæ januam habens in illius claustro præfatis, superque competenti decani habitatione, adeo sua latum mole, ut in eo cl. mem. Philippus eo nomine V. dum viveret Hispaniarum rex catholicus, una cum toto ejus comitatu fuerit hospitio exceptus, ac thesaurariatu, qui secunda, ac cantoria, quæ tertia, ac scholastria, quæ quarta respective dignitates, quarum cujuslibet

annuus redditus summam quicquid millium regalium hujusmodi attingit existunt, nec non septemdecim canonicatibus, totidemque præbendis, quarum una decanatu prædicto reperitur unita, ut præfertur, ac alia magistralis, ac alia doctoralis, seu theologalis, ac alia demum vicarialis, et respective pœnitentiaria etiam existunt, ac quarum quælibet summam sexmillium regalium parium annuo habet in redditu, ac quinque insuper portionibus, quarum altera vicaria nuncupatur; unaquæque vero illarum trium millium, et tercentorum regalium similium annuo gaudet redditu.

§. 4. Ac præterea tribus subcantoribus, et quadraginta, et amplius cappellanis, quas respective obtinentibus interessendi choro dictæ collegiatae ecclesiæ onus incumbit componitur. Decanus ipse caput esse noscatur, qui mitræ, et baculi pastoralis usu gaudet, ac territorium separatum, et districtum, videlicet ex dicto oppido civitate, ut præfertur nuncupato Tudelensi, et septem aliis sibi subjectis locis, uno scilicet de Ablitas, ac alio de Marchante, ac alio de Fontellas, ac alio de Rivaforada, ac alio de Arzante, ac alio de Pedriz, ac reliquo de Murillo de las Limas respective nuncupatis constans, in quo domiciliatos inter, ac simpliciter residentes numerus viginti sex millium animarum, circiter comprehenditur habet, et in ec jurisdictionem quasi episcopalem ex repetitis apostolicæ Sedis indultis exercet, ita ut ex præmissis omnibus, et ipsum oppidum civitas, ut præfertur nuncupatum Tudelæ, quod plures quidem episcopales Hispaniarum hujusmodi civitates præstat, ut ad civitatis, et ipsum episcopatus honorem evehatur, et collegiata ecclesia prædicta ad cathedralis ecclesiæ statum, et dignitatem sublimetur jure optimo videatur mereri.

§. 5. Cumque, ut similiter accepimus ad hujusmodi opus explendum plurima etiam accedant, et urgeant necessitatis pariter, atque utilitatis objecta, non secus ac reparandi animarum exitio, et jurgiorum seminum extirpandorum gravissima rationum momenta, videlicet, quod licet dictæ collegiatae ecclesiæ decanus, qui pro tempore fuit, usque a suæ dignitatis decanalibus exordio jure, tam optimo, tamque probato jurisdictione sibi attributa hujusmodi in suo districtu, seu territorio prædicto ab ordinaria cujusvis, ac præsertim vicini

Enumerantur loca subjecta decanatu ecclesiæ, qui mitræ, et baculi usu gaudet sub diocesi nullius.

Memorantur alie rationes quæ intercedunt, ut novus episcopatus erigatur.

episcopi Tirasonensis jurisdictione perfrui debuerit, et usque debeat in præsens; secus vero Tirasonensis episcopus suam quoque, præscriptam tamen et limitatam, in hujusmodi decanali districto, seu territorio ad tres solummodo scilicet usuræ, ac hæresis, et matrimonii respectivè casus jurisdictionem habeat, percipiatque propterea quartam ipsius districtus, seu territorii decimarum partem pro unius ad id inducti tribunalis manutentione; nihilominus a tempore memoriam hominum excedente: alteram quoque nimirum decanalem hujusmodi jurisdictionem super jarium diæcesanorum, atque honorum exercitio, nec non beneficiorum ecclesiasticorum provisionibus, æque ac sacramentorum administratione, et confessoriorum approbatione eidem decano ipsius collegiatae ecclesie contendere totis viribus expertus fuit, ex quo tam ruinosa litigia inter ipsum episcopum, ac capitulum, et canonicos ecclesie Tirasonensis ex una, nec non decanum, ac capitulum, et canonicos prædictos ejusdem collegiatae ex altera partibus exarserunt, ut plurimum sæculorum spatium ad illa quomodolibet compescenda, haud extiterit sufficiens, et quamvis de anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo fel. rec. Julius pp. V. prædecessor Noster per suas literas apostolicas jura omnia prædicta, quæ ab episcopo Tirasonensi, ut præfertur contendebantur super ipso territorio Tudelæ supradicto decano ipsius collegiatae ecclesie antea, ut supra, concessa perpetuo confirmaverit, quo medio tutum putabatur fore, ut episcopus, ac capitulum, et canonici Tirasonenses prædicti, tunc et pro tempore existentes ab hujusmodi litigiorum genere adversus dicti decani jura desisterent, hæc non obstante lites, et contestationes prædictæ ex tunc eo fortius invaluerunt cum incredibili spiritali exitio civium dictæ Tudelæ, illiusque districtus habitantium prædictorum, super quorum capitibus funesta litium hujusmodi damna ceciderunt. Vigentibus enim hisce discordiis, et contestationibus illarum causa continue seditiones in populo, seu civibus prædictis suboriebantur, et quibus uni, quibus vero alteri partium prædictarum faventibus scandala, provocationes, et homicidia etiam fuerunt sequuta. Quod inde itidem effecit, ut ab eodem anno millesimo-quinquagesimo duodecimo ipsius civitatis, ut præfertur nuncupatae Tudelæ, ejusque districtus prædicti respectivè habitatores hujusmodi con-

firmationis sacramento caruerint, et succedentibus novis Tirasonensibus episcopis, novisque ipsius collegiatae ecclesie decanis; quum ipsa jugiter insurrexisset quæstionis materia, tam ultro progressum fuit, ut recurrente de anno ejusdem Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo primo completo urbis universalis jubilæi largitione apostolica, vicissim hinc denuo contententibus episcopo Tirasonensi, et dictæ collegiatae ecclesie decano, tunc respectivè existentibus prædictis super illius publicatione, quam eorum uterque facere conabatur, ob hujusmodi contentiones illud minime publicatum, proindeque cives Tudelenses, totiusque decanalis districtus prædicti habitatores supradicti, tam pretioso Ecclesie thesauro orbatî remanserint, fatalique huic jacturæ venit etiam addendum, quod stantibus tunc hisce discordiis, eo usque adventum est, ut de validitate licentiarum sacramentales excipiendi Christianifidelium confessiones, et ecclesiastica administrandi sacramenta dubitaretur, quæ omnia quum exitialia singulis habitantibus prædictis vere fuissent, eorumque plura conscientias everterent obstreperentque, undique cum vicinorum quoque populorum scandalo dictus Carolus rex, ad cujus audientiam, semel ac iterum civium, et habitantium prædictorum quærelæ, damna, et incommoda ex litibus hujusmodi provenientia delata fuerunt perspectum habens, quod usque de anno prædicti Domini millesimo quingentesimo nonagesimo septimo claræ memoriæ Philippus II., et deinde Philippus, eo quoque nomine III., dum viverent reges catholici prædecessores sui de anno ipsius Domini millesimo sexcentesimo decimo in exterminandis eisdem litibus post varias ab eis respectivè ad hoc susceptas provisiones operam perperam impenderant, planeque inde prænoscentis fieri non posse, ut contentiones, dissidia, et lites hujusmodi, nec in toto, nec in parte eminentur, seu componantur, nisi penitus evellatur dissidorum, et jurgiorum ipsorum semen, et radix mediante dicti decanatus, qui per obitum quondam Martini Valdemoro illius, dum viveret, ultimi possessoris ipsius collegiatae ecclesie decani extra Romanam curiam defuncti ad præsens vacat suppressione, et extinctione, ac unius in dicta civitate, ut præfertur, nuncupata Tudelæ sedis, et dignitatis episcopalis erectione idulantibus eisdem ipsius collegiatae ecclesie modernis capitulo,

et canonicis, ac magistratu, et civibus Tudelensibus, cæterisque territorii, seu districtus decanalis hujusmodi habitatoribus antedictis dilectis respective filiis pro spiritali pabulo, et conscientiarum suarum tranquillitate obtinendis pro catholici principis pietate, et vigilantia in hoc providere percipiens rem omnem suæ regie cameræ consilio perpendendam remisit, quæ inde in re tanti momenti expositionum, et scripturarum communicatione respective partibus facta, earumque responsionibus, juribus, rationibus, ac omnibus, et singulis circumstantiis maturo examini redactis, probeque expensis, post plurimum annorum lapsum de anno demum Domini millesimo septingentesimo septuagesimo quarto eidem Carolo regi in sua desuper habita consultatione, sub die tamen vigesima quarta mensis novembris anni proxime præteriti publicata referre in Domino sensit. Quod tam præjudicialibus litigiis, quibus hactenus non fuit, nec esse poterit spes aliqua compositionis aliquando cum civium, et habitantium prædictorum utilitate removendis, penitusque terminandis antedicti decanatus ipsius collegiatæ ecclesiæ suppressio stante potissimum illius vacatione prædicta unicum esset expediens.

Utilitates quæ
a nova erectione
proveniunt
enuncentur.

§. 6. Quodque de cætero, si in dicto oppido civitate, ut præfertur, nuncupato Tudelæ unus episcopatus institueretur, ac dicta collegiata ecclesia in cathedralem ecclesiam, decanatus autem sic suppressus prædictus in dignitatem episcopalem respective erigerentur; diocesis vero Tudelæ, ex ipso decanali districtu, seu territorio satis competente reformaretur, ac demum pro mensæ episcopalis Tudelensis dotatione constituenda primum dicti supprimendi decanatus, eique, ut præfertur, unitorum canonicatus, et præbendæ ipsius collegiatæ ecclesiæ fructus, redditus, et proventus, insimul ad quadraginta quatuor mille, ac ducentos, et octoginta quatuor regales similes annuatim, ut præfertur, ascendentes, deinde redditus perpetui simplicis, et personalem residentiam non requirentis beneficii ecclesiastici prioratus nuncupati in parochiali ecclesia terræ de Caparrósso Pamipilonensis diocesis, quæ a dicta civitate, ut præfertur, nuncupata Tudelæ sex leucis distat, et quod beneficium de jure patronatus ejusdem Caroli regis ex fundatione, vel donatione, aut etiam ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum pariter existit, et per obitum quondam Pauli de

Areyzaga illius, dum viveret etiam possessoris extra Romanam curiam defecti, similiter nunc vacat ad quindecim mille, et quinquaginta octo regales pares annuatim quoque ascendentes, prævia tamen ipsius beneficii tituli collativi suppressione, et extinctione infrascriptis, ac postremo, ex nunc, prout ex tunc, et e contra postquam tamen ecclesiam Tirasonensem ex persona venerabilis fratris Nostri moderoi illius episcopi pastoris solatio destitui contigerit eadem quarta decimarum pars, quam super ipso territorio Tudelæ idem Tirasonensis episcopus percipere solet, ad viginti duos mille, ac noningentos, et nonaginta novem regales similes annuatim pariter ascendentes, prævia itidem ejusdem decimarum quartæ partis ab episcopali mensa Tirasonensi dismembratione in eventum hujusmodi perpetuo, ut infra facienda assignaretur, ita ut episcopalis mensa Tudelensis omnibus iosisimul comprehensis redditibus annua potiretur summa octoginta unius millium, ac tercentorum, et quadraginta unius regalium dictæ monetæ, quæ pro tuenda episcopali dignitate Tudelensi, attenta ejusdem soli fertilitate supradicta, et pauperam sublevandorum paucitate noscitur esse sufficiens; ex his profecto incommodis, et abusibus prædictis via tutissimo clauderetur, ac veluti nova dies post tot tenebrarum curriculum sacramentorum præsertim confirmationis administratio, iterum appareret, et animarum civium, et habitantium præfatorum salus, quies, et tranquillitas induceretur, proindeque quam dictus Carolus rex, cui tam clamorosa dissidia, quæ ordinem ecclesiasticum summopere dedecent a vinea Domini eliminare, nec non subditorum suorum animarum ruinam avertere, eisque spirituale pabulum procurare præcipua cura inest tam necessaria media pro sui debito exequi cupiens, suas Nobis per dictum Hieronymum humiliter preces obtulerit, quatenus erectionem hujusmodi, aliaque præmissa ad optatum effectum perducere, ac circa ea, ut infra disponere, et providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 7. Nos igitur, qui ejusdem oppidi statu, et insignitate, aliisque circumstantiis universis matura consideratione perpensis nedum congruam esse censemus novæ sedis episcopalis erectionem hujusmodi, sed eam, ac omnia, et singula per Nos, ut infra disponenda catholice fidei propagationi, Christifidelium ædificationi, et spiritali con-

Litibus sine
imponitur,
quæ super e-
rectione juris-
dictionis sub-
orte fuerunt.

solationi, divinique cultus incremento, valde profutura confidimus eximium dicitur Caroli regis zelum, ejusque tam pia, et religiosa desideria plurimum in Domino laudantes, ac benigno favore prosequi, atque exemplo illius, qui auctor pacis existit pacem hujusmodi finem imponere volentes, ac quarumcumque litium, et causarum infrascriptarum, ut infra introductarum, et etiam ut infra decisarum, pendentium status, et merita, nomina, et cognomina, et qualitates iudicum, et colligantium, et alia quaecumque etiam specificam, et individuum mentionem, et expressionem requirentia presentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolica potestatis plenitudine quascumque lites, et causas in quocumque tribunali super iurium predictorum exercitio quovis tempore introductas, et hactenus indecisas, etiam pendentes ab eisdem tribunalibus ad Nos apostolica auctoritate tenore presentium avocamus, illasque penitus, et omnino extinguimus, perpetuumque silentium imponimus.

§. 8. Deinde vero decanatum predictum, illique, ut praefertur, unitos canonicatum, et praebendas, sive ut praefertur, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Martini, vel cujusvis alterius de illo, et illis extra dictam curiam, etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacant, etiamsi super eo, et eis inter alios, ac alias, quam ut praefertur, cuius status etiam presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat quoque indecisa, dictique decanatus, ac canonicatus, et praebendae illi, ut praefertur, unitorum hujusmodi respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et assentiam dignitatis, et beneficii collativorum, ita quod ille, et illi ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativus, et collativi esse desinant, et de cetero, uti talis, et tales in titulum collativum, seu commendam quavis auctoritate conferri, aut concedi, seu impetrari, aut alias de illo, et illis quovis modo disponi amplius nequeat, etsi illum, et illos deinceps ullo unquam tempore conferri, seu impetrari, aut commendari, vel alias de illo, et illis disponi contigerit collationes, impetrationes, commendaes, aliaque dispositiones de illo, et illis pro tempore, quomodolibet

factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant.

§. 9. In dicta autem collegiata ecclesia ad infrascriptae erectionis effectum collegialitatem, et titulum, nomen, et denominationem, naturam, et assentiam collegiatae ecclesiae, ita quod illa ex nunc deinceps collegiata ecclesia denominari, inscribi, reputari, et intelligi amplius minime debeat, de ipsius Caroli regis consensu dicta apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, omnimodamque jurisdictionem, quam super ipso oppido civitate, ut praefertur nuncupato Tudelae, ejusque districtu seu territorio predicto, tam decanus ipsius collegiatae ecclesiae, ut praefertur suppressae, extinctaeque, quam episcopus Tirasonensis predicti quomodolibet respective hactenus exercuerunt, seu ab eis respective exerceri praetensum fuit motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ex nunc penitus, et omnino tollimus, abrogamus, et abolemus. His vero praemissis predictum oppidum, seu civitatem nuncupatum Tudelae in civitatem episcopalem Tudelensem nuncupandam cum omnibus iuribus, honoribus, et prerogativis, quibus aliae civitates pontificali sede insignitae, et earum cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum. Dictam autem collegiatam ecclesiam per Nos, ut praefertur, suppressam, et extinctam in cathedrallem ecclesiam Tudelensem pariter nuncupandam archiepiscopo Burgensi suffraganeam, eique metropolitico jure subjectam extitutam sub invocatione ejusdem sanctae Mariae, et in ea sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Tudelesi, qui eidem ecclesiae, illiusque civitati Tudelesi, ut praefertur nuncupandae, ac dioecesi etiam Tudelesi, ut infra assignandae praesit, synodum convocet, omnimodamque jurisdictionem, auctoritatem, et potestatem, prout juris est, etiam super capitulo, et clero suae dioecesis Tudelesensis hujusmodi absque ulla classium distinctione semper exercere, sicuti etiam caetera omnia munera, et actus tum ordinis, tum jurisdictionis, prout alii episcopi, tam in eisdem Hispaniarum regnis dicti archiepiscopi Burgensis suffraganei existentes, quam alibi ubicumque constituti in suis ecclesiasticis civitatibus, ac dioecesibus de jure, vel

Ecclesia collegiata in cathedrallem originatur.

Suppressio decanatus, et omnium beneficiorum eidem adnexorum.

consuetudine, aut alias quomodolibet ea privilegiis, gratiis, indultis, et dispositionibus apostolicis, desuper nominatim, et in specie concessa auctoritate, et facultate suffulti, et quibus ad præsens uti solent, et gaudent, ac gaudere possunt, pariformiter, et æque principaliter, et absque ulla prorsus differentia, perinde, ac si sibi quoque nominatim, et in specie concessa, et expressa fuissent in sua diœcesi Tudelensi prædicta facere, gerere, et exercere libere, et licite possit, et debeat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa episcopali, cæterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, quibus cæteræ, etiam cathedrales, earumque præsules quomodolibet similiter gaudent, ac gaudere poterunt in futurum ad omnipotentis Dei laudem, et gloriam, ejusdemque beatæ Virginis Mariæ honorem, fideique catholicæ exaltationem apostolica auctoritate prædicta, itidem perpetuo erigimus, et instituimus, nec non capitulum dictæ collegiæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ in capitulum cathedrale Tudelense: thesaurarium vero prædictum, qui secunda in majorem post pontificalem, ut præfertur erectam, et iustitiam, ac cantoriam hujusmodi, quæ tertia in secundam, et scholastriam prædictam, quæ quarta dignitates ipsius collegiæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur suppressæ, et extinctæ: parique modo residuales sexdecim canonicatus, et præbendas, ac quinque portiones, et tres, subcantoratus prædictos, ceterasque cappellanas hujusmodi dictæ collegiæ ecclesiæ, similiter, ut præfertur, per Nos suppressæ, et extinctæ in totidem canonicatus, et præbendarum portiones, subcantoratus, et cappellanas ejusdem cathedralis ecclesiæ Tudelensis, ut præfertur erectæ, et institutæ eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo substituimus, et subrogamus, ita ut prædictas dignitates, ac canonicatus, et præbendas, nec non portiones, ac subcantoratus, et cappellanas hujusmodi per Nos, ut præfertur, substitutas, et subrogatas, ac substitutas, et subrogatas respective nunc obtinentes.

Communicatio
privilegiorum
pro ecclesia
cathedrali no-
viter erecta.

§. 10. Non obstantibus ipsius collegiæ ecclesiæ, etiam, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ status immutatione, ac substitutione, et subrogatione prædictis in earumdem dignitatum, ac canonicatum, et præbendarum, nec non portionum, et subcantoratum, ac cappellaniarum hujusmodi, sic per Nos, ut præfertur, substitutarum, et subro-

gatarum, ac substitutorum, et subrogatorum respective possessione, absque alia eis desuper facienda provisione, et in eadem fructuum, reddituum, et proventuum, quos de præsentis ex illis respective percipiunt fructione libere, et licite remanere possint, et debeant, firmis etiam, salvis et illæsis remanentibus favore capituli, et canonicorum dictæ collegiæ ecclesiæ, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ in capitulum, et canonicos ejusdem cathedralis ecclesiæ Tudelensis per Nos, ut præfertur, substitutorum, et subrogatorum hujusmodi privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentiis, insigniis, aliisque gratiis quibuscumque, tam spiritualibus, quam temporalibus, et mixtis eisdem capitulo, et canonicis ipsius collegiæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ in capitulum, et canonicos ejusdem cathedralis ecclesiæ Tudelensis sic erectæ, et institutæ substitutis, et subrogatis hujusmodi ante suppressionem, erectionem, et subrogationem prædictas per Nos, ut præfertur, factas apostolica, vel alia quavis auctoritate hactenus, quomodolibet concessis, ac etiam de jure, consuetudine, privilegio, aut alias competentibus, dummodo tamen sint in usu, et revocata non sint, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis non repugnent in omnibus, et per omnia, ac si status collegialitatis hujusmodi minime immutatus foret. Nos enim eisdem modernis capitulo, et canonicis dictæ collegiæ ecclesiæ, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ in capitulum, et canonicos ipsius, ut præfertur, erectæ, et institutæ cathedralis ecclesiæ Tudelensis per Nos itidem, ut præfertur, substitutis, et subrogatis, ut ipsi, eorumque in dignitatibus, ac canonicatibus, et præbendis, sic respective substitutis, et subrogatis successores pro tempore existentes quotiescumque sedis episcopalis Tudelensis vacatio contigerit in ordinaria episcopi Tudelensis jurisdictione toto singularum ejusdem sedis episcopalis Tudelensis vacationum tempore durante ad instar aliorum capitulorum cathedralium ecclesiarum Hispaniarum regni prædicti succedere etiam possint, et debeant.

§. 11. Ita tamen, ut pro totius diœcesis Tudelensis, ut infra assignandæ regimine, spiritualique gubernio, nec non pro parochialium ecclesiarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum eis annexa cura animarum concursibus ad tramites concordatorum inter Sedem

Declarationes
circa regimen
diœcesis novæ
tempore vacan-
tionis seu
episcopalis.

apostolicam ex una, et Hispaniarum regem catholicum ex altera partibus de anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio initorum habendis unum tamen vicarium capitularem infra tempus, ac alias in omnibus, et per omnia ad præscriptum concilii Tridentini, sive de gremio eorum capituli prædicti, sive extra illud, dummodo tamen, qui in vicarium hujusmodi assumptus fuerit, in jure canonico, vel civili licentiatus, seu doctor omnino existat eligere, et deputare valeant dicta apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

§. 12. His autem peractis ad infra-scriptæ ejusdem mensæ episcopalis Tudelensis, ut præfertur, erectæ, et institutæ donationis effectum, beneficium antedictum prioratum, ut præfertur, nuncupatum in eadem parochiali ecclesia loci de Caparrossa dictæ Pampilonensis diœcesis existens similiter, sive, ut præfertur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque personæ, seu per liberam dicti Pauli, vel cujusvis alterius resignationem de illo extra dictam curiam, etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut assequutionem quoque alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, illiusque pariter titulum collativum, nomen, denominationem, prioratus hujusmodi naturam, et assentiam beneficii ecclesiastici collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis itidem futuris temporibus collativum esse desinat, ac de cætero, uti tale nullus ad illud præsentari, illudque in titulum collativum quavis auctoritate conferri, seu impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, etsi ad illud deinceps ullo nunquam tempore aliquem prædictum, illudque respective conferri, seu impetrari, vel alias de illo quovis modo, ut præfertur, disponi contigerit, præsentationes, collationes, provisiones, impetrationes, aliæque dispositiones de beneficio hujusmodi pro tempore quomodolibet factæ nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, de simili ejusdem Caroli regis consensu apostolica auctoritate prædicta perpetuo quoque supprimimus, et extinguimus, nec non ab eadem mensa episcopali Tirasonensi dictam quartam decimarum partem ab illius episcopo super ipso oppido in civitatem episcopalem Tudelensem, ut præfertur erecto, totoque districtu, seu territorio

Tudelensi prædicto percipi solitam ex nunc, prout ex tunc, et e contra postquam prædictam ecclesiam Tirasonensem ex persona illius moderni episcopi prædicti pastoris solatio destitui contigerit, eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, et ad hoc, ut episcopus Tudelensis pro tempore extiturus statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decenter tenere valeat ex nunc eosdem, tam dicti decanatus, eique, ut præfertur, unitorum canonicatus, et præbendas, quam supradicti beneficii per Nos, ut præfertur, respective suppressorum, et extinctorum fructus, redditus, et proventus, nec non ex nunc, prout ex tunc, et e contra videlicet in eventum præmissum prædictos etiam redditus ab eadem quarta decimarum parte ab ipsa episcopali mensa Tirasonensi per Nos etiam, ut præfertur, dismembrata, divisa, et separata provenientes, et respective decimas ipsas eidem mensæ episcopali Tudelensi, ita quod liceat personæ eidem ecclesiæ Tudelensi nunc a primæva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutæ in episcopum præficiendæ, ejus ac dictæ mensæ episcopalis Tudelensis nomine omnium, et quorumcumque tam dicti decanatus, eique, ut præfertur, unitorum canonicatus, et præbendas, nec non beneficii hujusmodi per Nos respective, ut præfertur, suppressorum, et extinctorum respective fructuum, reddituum, proventuum, jurium, rerum, proprietatum, et bonorum quorumcumque, nec non statim ac casus vacationis prædictæ ecclesiæ Tirasonensis, ex persona illius moderni episcopi prædicti quomodolibet evenit, eorundem quoque reddituum ex ipsa quarta decimarum parte a supradicta mensa episcopali Tirasonensi, et per Nos, ut præfertur, dismembrata, divisa, et separata, seu decimarum ipsarum quartæ partis hujusmodi veram, realem, corporalem, et actualem possessionem per se, vel alium, se alios propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, illosque, et illa, ac illas respective locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare, et recuperare, ac in suos, et dictæ mensis episcopalis Tudelensis usus, et utilitatem convertere, cujusque licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo unimus, applicamus, et incorporamus.

Concessio do-
mus aliorum
beneficiorum.

§. 13. Eidemque episcopo Tudelensi pro tempore exituro, pro ejus satis commoda, decentique episcopali habitatione antedictum palatium decanatu prædicto per Nos, ut præfertur, suppresso, et extincto anuexum hujusmodi itidem perpetuo addicimus, et assignamus, ac præterea ut futuro episcopo Tudelensi prædicto clerus, et populus, nec non diœcesis constitui valeant, prædictum oppidum in civitatem episcopalem Tudelensem, ut præfertur, crectum, nec non septem loca prædicta uno scilicet de Ablitas, ac alium de Marchante, ac alium de Fontellas, ac alium de Rivaforada, ac alium de Urzante, ac alium de Pedriz, ac reliquum de Murillo de las Limas, ut præfertur, respective nuncupata, et decanale districtum, seu territorium hujusmodi, ut supra componentia, ac in eis respective consistentes, et consistentia parochiales, et alias ecclesias, monasteria, propositatus, prioratus, et alia quæcumque, quotcumque, et qualicumque cum cura, et sine cura secularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus, et præbendas, dignitates, personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva: regularia vero beneficia hujusmodi præpositatus, præposituræ, dignitates etiam conventuales, personatus, administrationes, et officia, etiam claustralia, cappellanæ, et cappellæ sint, et ad dignitates, prioratus, præposituras, et præpositatus hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, dictique oppidi in civitatem episcopalem Tudelensem sic erecti, eorundemque septem locorum utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant a prædicta per Nos sic aboletata decanali jurisdictione cui hactenus subjecta, et subjecti extiterunt dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo disjungiunt, et eximimus, dictumque oppidum in civitatem episcopalem Tudelensem sic erectum, eademque septem loca respective, ut præfertur, disjuncta, et exempta, eorumque universas personas prædictas tam seculares, quam ecclesiasticas, et quorumvis ordinum regulares, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, præpositatus, et alia beneficia ecclesiastica hujusmodi cum suis juribus, et pertinentiis, usibus, novæ ecclesiæ episcopali Tudelensi, illiusque futuro præsuli pro suis civitate,

territorio, diœcesi, clero, et populo ita quod liceat prædictæ personæ eidem ecclesiæ Tudelensi tam nunc a primæva illius erectione, et institutione hujusmodi quam deinceps, ut præfertur, pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutæ in episcopum, ut supra, præficiendæ per se, vel per alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris diœcesani in dicto oppido in civitatem episcopalem, ut præfertur, erecto, aliisque septem locis prædictis propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere dicti archiepiscopi Burgensis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita simili apostolica auctoritate, etiam perpetuo concedimus, et assignamus; nec non ordinariæ ipsius episcopi Tudelensis pro tempore exituri jurisdictioni respective supponimus, atque subiicimus.

§. 14. Ac insuper eidem futuro episcopo Tudelensi, ac modernis, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis ipsius sic erectæ cathedralis ecclesiæ, ut præfertur, substitutis, et subrogatis, ut ipsi attenta status in dicta collegiata ecclesia sic suppressa, et extincta immutatione hujusmodi, quatenus opus sit, capitulariter congregati pro dictæ cathedralis ecclesiæ Tudelensis, ut supra erectæ, et institutæ, ac illius mensæ capitularis, sacristiæ, et fabricæ, earumque rerum, et bonorum tam spiritualium, quam temporalium novo, ac prosperiori statu, regimine, gubernio, et directione, ac onerum eis pro tempore incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, ac de dignitatibus canonicatibus, et præbendis, portionibus subcantoratus, et cappellanis, ut præfertur, respective subrogatis hujusmodi, inibi pro tempore providendorum receptione, et admissione personali residentia distributionum, etiam quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque repartitione, et administratione, ac pœnarum per absentes, ac divinis officiis, et functionibus suis loco, et tempore non iterrescentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbencia subire negligentes incurrendarum impositione singulorum præsentis, et absentis notare, dictis cæremoniis, et functionibus in dicta cathedrali ecclesia, ut præfertur;

Privilegia ecclesiarum et canonicorum indignantur.

erecta, et instituta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus servandis, nec non ministris in eadem cathedrali ecclesia sic erecta, et instituta deputandis, et amovendis salariis, et stipendiis eorum cuilibet assignandis, et quibusvis aliis rebus in præmissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis quæcumque etiam nova statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis non contraria condendi, et edendi, conditaque, et edita pro temporum, et rerum variatione, et qualitate mutandi, limitandi, seu et antiqua corrigendi, declarandi, et interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, et per eos ad quos pro tempore spectabit sub pœnis in contrafacientes statuendis observari faciendi plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem eadem apostolica auctoritate, similiter perpetuo concedimus, et impertimur.

§. 15. Ulterius eidem Carolo regi ejusque successoribus regibus catholicis juspatronatus, et præsentandi ad ecclesiam Tudelensem prædictam tam hac prima vice a primæva illius erectione, et institutione a Nobis, ut præfertur, factis hujusmodi pastoris solatio destitutam, quam deinceps quoties illam pro tempore quomodolibet etiam apud Sedem apostolicam prædictam similiter pastoris solatio destitui contigerit, personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem ad præsentationem hujusmodi eidem ecclesie Tudelensi in episcopum præficiendam, firma etiam remanente favore ipsius Caroli regis, ejusque successorum regum prædictorum nominatione, seu præsentatione ad omnes dignitates, canonicatus, et præbendas, aliaque beneficia prædicta per Nos, ut præfertur, subrogatas, subrogatos, et subrogata ejusdem sic erectæ cathedralis ecclesie Tudelensis ad tramites concordatorum hujusmodi apostolica auctoritate prædicta sibi perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus. Decernentes juspatronatus, et præsentandi hujusmodi ad dictam ecclesiam episcopalem Tudelensem, sic erectam, et institutam regium exercere, eidemque Carolo regi ejusque successoribus regibus prædictis pro patronatus, et præsentandi jure, quod ad decanatum per Nos, ut præfertur suppressum, ex extinctum hujusmodi competebat similiter competere. Illudque vim, effectum, naturam, substantiam,

essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem juspatronatus regii hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione, etiam per vias constitutionis, legis, regulæ cancellariæ apostolicæ, aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendere, neque illi ullo umquam tempore, et ex quavis causa derogari posse neque debere.

§. 16. Easdem quoque præsentationes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ propter quas eadem præsentationes literæ emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, seu quopiam alio quantumvis magno substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuan mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis juxta, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari posse in iudicio, et extra illud; neque easdem præsentationes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, supplicationibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque con-

Clausula salutaris, et irritantes.

Concessio juspatronatus favore regis.

trariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ prædictæ regulas, quodcumque, etiam in crastinum assumptionis nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem præsentibus, carumque toto tenore ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabant, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque iudicio, et in quacumque instantia iudicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris pontificii.

§. 17. Quocirca dilecto filio futuro ab ipso Carolo rege ad eandem ecclesiam Tudelensem a primæva illius erectione, et institutione huiusmodi, ut præfertur, vacantem præsentando, et respective eligendo episcopo Tudelensi ad hoc, ut præmissa omnia per Nos, ut præfertur, disposita suum prospero felicitique successu sortiri valeant effectum motu simili earundem præsentium executionem committimus, ei per apostolica scripta mandantes, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentibus Nostras literas prædictas, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit solemniter publicans faciat auctoritate Nostra sibi attributa præsentibus ipsas, et in eis contenta huiusmodi ab omnibus et singulis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ac quæcumque obstacula, et impedimenta ex parte cuiuscumque personæ, super eisdem præmissis quomodolibet oritura auctoritate prædicta sibi, ut præfertur, attributa prorsus dirimere, et remove-

satagat, ac super eis, servatis tamen quæ fuerint de jure servanda, etiam definitive, et appellatione remota pronunciet. Non obstantibus nostris, et cancellariæ apostolicæ præfatæ regulis de jure quæsito non tollendo, et de unionibus ad partes committendis, et de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri, ac beneficia ecclesiastica unius diocesis alterius diocesis beneficiis uniri, et ab ecclesiis membra distingui, ac dividi respective prohibentis, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictæque ecclesiæ Tirasonensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quælibet alia, etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad præmissorum omnium, et singulorum validitatis effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine huiusmodi harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ avocationis causarum, litiumque prædictarum extinctionis, ac silentii impositionis, nec non suppressionum, et extinctionum abrogationis, abolitionis, erectionis, insti-

Sanctio pontificii.

tutionis, substitutionis, subrogationis, concessionis, indulti, dismembrationis, divisionis, separationis, unionis, applicationis, incorporationis, disjunctionis, exemptionis posteriorum concessionum assignationum suppositionis, subjectionis, facultatis, impartitionis, reservationis, decreti, commissionis, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo tertio sexto kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno nono.

GDXXX.

Ampliatio, et extensio chirographorum san. mem. Clementis pp. XIV. prædecessoris, et S.S. super causis alimentorum signatorum pro conservatorio beatæ virginis Mariæ in cælum Assumptæ urbis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Philippus Mazzoleni parochus ecclesiæ sancti Salvatoris a Ponte Rotto; nec non œconomus conservatorii beatæ Mariæ Virginis in cælum Assumptæ almæ Nostræ urbis, quod conservatorium prædictum gravissimis urgetur miseriis, ex quo, et ære alieno in conspicua summa gravatur, et debitas præstationes, ac assignamenta convictricium ejusdem conservatorii debitis temporibus exigere nequeat. Cum autem sicut eadem expositio prosequeretur ex hujusmodi debitarum solutionum dilatione maximum detrimentum eidem loco pio proficiscatur, quo huic malo citius, quam fieri potest, occurratur, chirographa a felicitis recordationis Clemente pp. XIV. prædecessore Nostro die v augusti MDCLXIX. et septima martii MDCLXXII. manu propria signata super causis alimentorum, ad conservatorium prædictum extendi, et ampliari summopere desideret. Nobis pro-

pterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur conservatorium, ac exponentem prædictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et personam dicti exponentis a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati memorata chirographa, ac omnia in eis contenta ad dictum conservatorium auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti conservatorii etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Tenor concessionis.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

Dat. Romæ
die 1. aprilis
1785
anno IX.Expositio præ-
sum.

Dat. Romæ
die 1. aprilis
1785
anno nono.

CDXXXI.

Deputantur tres iudices ad definiendas sine strepitu iudicii controversias, et lites super qualitate dignitatum canonicalium, et beneficiorum ecclesie cathedralis Leyrensis pendentes.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. **D**ecet Romano pontifici iustitiæ simul, et pacis assertori ad tollendas lites omnes, ac controversias, quæ super rebus ecclesiasticis non sine divini cultus detrimento jamdiu pendent ea concedere, quæ pro promptiori illarum expeditione salubriter in Domino expedire arbitratur, præsertim cum sublimorum principum vota accedant.

Exponitur status controversie subortæ.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissima in christo filia Nostra Maria Francisca Portugallie, et Algarbiorum regina fidelissima, quod cum jamdiu pendeat controversia super qualitate omnium dignitatum canonicalium, et beneficiorum cathedralis ecclesie Leyrensis, num scilicet sint de jurepatronatu regio, aut potius de libera collatione episcopi Leyrensis pro tempore existentis, illorum collatio multis ab hinc annis non sine gravi ejusdem ecclesie detrimento suspensa est. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, huic incommodo memorata Maria Francisca regina fidelissima pro sua pietate, quam citius occurrere, ac diuturniori controversie finem imponere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignareremur.

concessionis.

§. 3. Nos igitur ejusdem Mariæ Franciscae reginæ fidelissimæ votis annuere volentes, ac supplicationibus hujusmodi inclinati, cum de doctrina, fide, ac justitia dilectorum filiorum Francisci Antonii Marques Giraldes Andrade, nec non Josephi Ricald Pereyra de Castro, nec non venerabilis fratris moderni archiepiscopi Lacedæmoniensis vicarii generalis patriarchæ Lisbonensis plurimum in Domino fiduciam habeamus, hinc eidem Francisco Antonio, veluti causæ relatori, dictisque Josepho, et archiepiscopo Lacedæmoniensi auctoritate apostolica tenore præsentium committimus, et mandamus, ut causam, et causas, ac controversias omnes super qualitate

dignitatum canonicalium, et beneficiorum cathedralis ecclesie prædictæ usque adhuc exortas, sine strepitu iudicii, et sola facti veritate inspecta, omnique appellatione remota, definiant, decident, ac diriment. Nos enim ipsis ad præmissa omnia terminanda, ac absolvenda quamcumque necessariam, et quomodolibet opportunam faciendi, gerendi, et exequendi auctoritate prædicta facultatem, et auctoritatem concedimus, et impertimur.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissimo suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula auctoritates et irritantes.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non cathedralis ecclesie prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anno piscatoris die prima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

CDXXXII.

Dat. R. mæ
4 aprilis
1785
anno nonoErectio terræ Vetrallæ Viterbiensis dice-
cesis in civitatem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **C**ircumspecta Romani pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, ac fideles suos, et temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditio- nis subditos præsertim illos, qui sinceræ fidei, et devotionis affectum erga apostolicam hanc sanctam Sedem gere- re comprobantur amplioribus hono- ris, decoris, et honorificentia titulis, nec non specialis benevolentia favori- bus amplecti solet, prout personarum, locorumque qualitatibus, et meritis conspicit convenire.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii primi conservatores communitatis terræ Nostræ Vetrallæ Vi- terbiensis diocesis, quod cum ad eam- dem terram nova via regia, ac militaris ad Hetruriam ducens, quam nuper non sine gravi sumptu pro commodiori viatorum, ac commeatuum transitu ster- ni curavimus tranijciat, ac insuper dic- ta terra ex felicitis recordationis Bene- dicti pp. XIII. prædecessoris Nostri in- dulto suum gubernatorem per literas apostolicas in simili forma Brevis per Nos, successoresque Nostros Romanos pontifices eligendum, ac plusquam ter- centos pagos eidem gubernatori subje- ctos habeat, nec non eadem terra satis frequens sit, continens quinque mille cir- citer incolas, et habitatores, ac in ea sæcularis, et collegiata ecclesia cum archipresbytero, et tresdecim canonicis a felicitis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro usq. superpellicei, seu rocchetti donatis, quatuor parochia- les ecclesiæ, tres itidem ordinum re- gularium conventus, et una domus cle- ricorum regularium passionis Domini No- stri Jesu Christi, sanctimonialium ordi- nis beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo monasterium, confraternitates, oratoria, ac etiam xenodochium, seu hospitale reperiantur; ea propter dicti exponentes pro eorum, et terræ hujus- modi, nec non singularum incolarum, et habitatorum decore terram ipsam civitatis nomine insigniri, eisque alia pri- vilegia per Nos concedi summopere de- siderant. Nobis propterea humiliter sup- plicari fecerunt, ut sibi in præmissis

Bull. Rom. Tom. VII.

opportune providere, et ut infra indul- gere de benignitate apostolica digna- remur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prose- qui volentes, et eorum singulares per- sonas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen- tentiis, censuris, et pœnis quovis mo- do, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore cen- sentes hujusmodi supplicationibus incli- nati, ac etiam motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine terram Vetrallæ prædictam in civitatem Vetrallæ nuncupandam tenore præsentium perpetuo erigimus, et in- stituimus, eique civitatis titulum, ac denominationem, cum omnibus hono- ribus, juribus, prærogativis, ac deco- rationibus, quæ cæteris omnibus ditio- nis Nostræ pontificiæ civitatibus com- petere dignoscuntur, nec non magistra- tui ejusdem terræ in civitatem, ut præ- fertur, erectæ consuetos honores, et in- signia, quibus aliarum ejusdem ditio- nis civitatum magistratus de jure, usq. et consuetudine gaudere, seu quibus uti possunt pariformiter, et absque ulla differentia gaudere, potiri, et uti posse concedimus, et impertimur, ac ejus- dem terræ incolas, et habitatores præ- dictos civium nomine decoramus, ita tamen, ut nunc, et pro tempore exi- stens episcopus Viterbiensis in ea re- sidere minime teneatur; sed terra hu- jusmodi in civitatem sic erecta cathed- rali ecclesiæ Viterbiensi, ut prius, subjecta remaneat.

§. 4. Ut autem exponentes prædi- cti Nostri beneficii magis magisque de- victi in devotione, et fide erga eam- dem sanctam Sedem sincere persistent, et eorum exemplo alii ad similia præ- mia promerenda inducantur, primo con- servatori, ac secundo, et tertio pro tem- pore existentibus memoratæ terræ Ve- trallæ in civitatem, ut præfertur, ere- ctæ, ut tempore eorum magistratus togam longam ex holoserico raso nigri coloris, cum zona simili, ita tamen ut a zona primi conservatoris duo flocci aureo contexti, a zona vero secundi, et tertii simplices flocci nigri coloris pen- deant, gestare, illisque uti, libere, et licite possint, et valeant auctoritate, et tenore prædictis pariter concedimus, et impertimur.

§. 5. Decernentes eandem præsen- tes literas, et in eis contenta quæcum-

Tenor con-
cessionis.Concessio to-
gæ pro magi-
stratu civitati-
noviter erectæClausula sub-
lata, et decre-
tum irritans.

Proemium.

Expositio præ-
cum porrecta-
rum a commu-
nitate.

que etiam ex eo, quod quicumque in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas præsentibus emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interessæ habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ camerarium, ac alios cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis prædictæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ terræ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis

clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXIII.

Dat. die
4. aprilis 1785
Anno IX.

Imminutio festorum in diocesi
Pinhelensi.

Venerabili fratri episcopo Pinhelensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater

Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo Magnus prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessarium inopiam, non sine conscientie angore contemnuntur.

Proemium, et
ratio concessio-
nis.

Expositio pre-
cum.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, quod in civitate, et diœcesi Pinhelensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor conces-
sionis.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earundem civitatis, et diœcesis Pinhelensis existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistæ, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum; præterea quinque dicatis beatæ Mariæ Virgini Immaculatæ, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integra maneat præcepti obligatio: in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales earundem civitatis, et diœcesis constitutiones, sive quacumque alia de

Bull. Rom. Tom. VII.

causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, præceptis, præscriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupolo vacare possint auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et diœcesis prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio con-
trariorum.

CDXXXIV.

Suppressio tituli collativi simplicis cappellanæ, et illius reductio ad legatum piæ ad nutum serenissimæ reginæ fidelissimæ.

Dat. Romæ
die 10. aprilis
1785
anno nono.Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Decet Romanum pontificem pro varia rerum, et temporum circumstantia beneficiorum ecclesiasticorum es-

Proœmium.

sentiam ministerio suppressionis quandocumque immutare, ut quod de illorum fructibus, adimpletis oneribus, superesse dignoscitur, munifica regalium personarum dextera diversis piorum operum objectis, prudenti eorum arbitrio valeat providere.

Tenor precum
porrectarum a
regina Portu-
gallia.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius Didacus de Noronha apud Nos, et Sedem apostolicam carissimæ in Christo filia Nostræ Mariæ Franciscæ Portugallia, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ administer plenipotentarius regio ejus nomine Nobis nuper exposuit, juspatronatus, et præsentandi ad perpetuam sine cura, et personalem residentiam non requirentem cappellaniam sub invocatione sancti Bartholomæi apostoli in parochiali, et matrice ecclesia villæ de Benevente Elborensis diæcesis per liberam cessionem dicti juspatronatus, et præsentandi, quod ad pro tempore existentes senatum cameræ, et communitatem dictæ villæ spectabat, et pertinebat, favore ejusdem Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ a dilectis pariter filiis modernis senatu, et communitate prædictis nuper factam in eadem Mariam Franciscam reginam fidelissimam, ejusque successores reges fidelissimos modo translatum esse dignoscatur. Dicta autem cappellania ex persona illius ultimi possessoris certo, quem præsentibus haberi volumus pro expresso modo extra Romanam curiam vacaverit, seu vacet ad præsens, proindeque Didacus prædictus regio nomine supradicto Nobis preces obtulerit, quatenus prævia ejusdem cappellaniæ tituli collativi suppressione, et extinctione, illam ad legati pii mere laicalis statum, et conditionem reducere, aliaque infra-scripta decernere, ac statuere de benigne apostolica dignaremur.

Tenor concessio-
nis.

§. 3. Nos cupientes ipsius Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ precibus, et votis annuere, ac Didacum prædictum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, tenore præsentium titulum collativum, naturam, et essentiam, nomen, et cognomen dictæ cappellaniæ collativæ, cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annum, ut asseritur, non excedunt; ita quod ex nunc illa collativa esse desinat, et de cætero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illa quomodolibet disponi nullatenus unquam possit, et si illa dein-

ceps conferri, aut impetrari, vel alias de illa quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, et quævis aliæ dispositiones de illa faciendæ nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus; illisque sic suppressis, et extinctis, cappellaniam prædictam ad legatum pium mere laicale dicta apostolica auctoritate reducimus: ac omnium, et singulorum illius bonorum eandem Mariam Franciscam reginam fidelissimam liberam administratricem, ejusque successores, reges fidelissimos liberos administratores; cum hoc tamen, quod ab eadem Maria Franciscæ regina fidelissima, ejusque successoribus regibus fidelissimis pro tempore existentibus, etiam per aliam personam delegandam, cappellanus ad nutum ejusdem Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ, ejusque regum fidelissimorum successorum amovibilis pro dictæ cappellaniæ oneribus adimplendis cum congrua assignatione nominari debeat: superextantes vero fructus cappellaniæ hujusmodi eadem Maria Franciscæ regina fidelissima, ejusque successores reges fidelissimi pro suæ, et eorum regis pietatis arbitrio convertere, et erogare libere possit, et respective possint eadem apostolica auctoritate constituimus, et declaramus. Ac insuper facultatem cappellaniæ prædictæ pro tempore existentem ad sui vitam, quotiescumque expedire videatur, deputandi eidem Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ, ejusque successoribus regibus fidelissimis prædictis dicta apostolica auctoritate concedimus, et impertimur.

§. 4. Eadem quoque præsentibus, et in eis contenta, ac expressa quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, etiam ex eo, quod causæ propter quas præmissa emanarunt, coram Nobis, vel alibi adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari nullatenus posse, sed eas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; et ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in fu-

Clausula salu-
tates.

turum firmiter, et inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 5. Sicque, et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios judicari, et definiiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus fructus redditus, et proventus cappellanæ prædictæ ad majorem summam ascendant, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regulis de exprimendo vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore in suppressionibus, ac de eisdem suppressionibus committendis ad partes, ac Lateranensis concilii novissime celebrati suppressiones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, et generalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris literarum apostolicarum, et sanctionis poenalis.

§. 7. Nos enim venerabilem fratrem Nostrum modernum archiepiscopum Lacedæmoniensem in civitate Lisbonensi commorantem in exequutore præsentium literarum apostolicarum auctoritate, et tenore præmissis constituimus, et deputamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, reductionis, constitutionis, declarationis, concessionis, impartitionis, decreti, derogationis, et deputationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, quarto idus aprilis, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXV.

Dat. die
11 aprilis 1785
Anno IX.

Mandatum, ut in posterum in diocesi Ariminensi diebus festis nundinæ celebrari nequeant.

Venerabili fratri Vincentio episcopo Ariminensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater

Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. **G**rava quidem sunt, et non parvo mœore lugenda scandala, quæ ex suborta corruptela in hac tua diocesi celebrandi in diebus festis, et præcipue in diebus dominicis publicos mercatus, abusive nundinas nuncupatos fraternitas tua evenire Nobis significat; siquidem cum idcirco in diebus festis ab opere humano cessandum sit, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis, et hymnis, ac canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre; memoriis sanctorum communicare, ad incitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat christianus, multi e contrario Christifideles spe lucri illusi, ac nimium, quam par est negotiosi, quoties mercatus, sive nundinæ, utcumque vocentur in hisce diebus habeantur, quæ sua, ac hujus sæculi sunt, dumtaxat quærentes, (vix, aut ne vix quidem ecclesiam adeunt, divinoque sacrificio adstant, tantum abest, ut Dei verbum attente, pioque ore audire, ecclesias frequentare, conscientiam mundare, Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire curent.

Ratio constitutionis.

§. 2. Nos non latet felicitis recordationis Benedictum pp. XIV. prædecessorem Nostrum per suas literas archiepiscopis, episcopis, et ordinariis ditionis ecclesiasticæ directas die quinta novembris MDCCXLII. datas districte quidem mercatus in diebus festis pro-

Memorantur prædecessorum providentiæ super nundinis faciendis prolate.

hibuisse, sed sub certis tunc expressis conditionibus nundinarum celebrationem tollerasse, aliosque decessores Nostros aliquibus populis peculiaribus literis id indulgisse. Verum cum ex hujusmodi indulgentiâ, ac facilitate nimis ultro processerit corruptela; quod vero in populorum commodum fuerat concessum in hac tua diœcesi, in apertum, ac intollerabilem dierum festorum contemptum collapsum sit, hinc precibus tuis Nobis hisce desuper porrectis, saluberrimas sanctiones, quibus ecclesia celebrandarum nundinarum hujusmodi, seu potius mercatum in diebus festis abusum tollere jugiter studuit, ad illarum pristinam observationem revocantes, fraternitati tuæ per præsentem edicimus, et mandamus, ne in diœcesis tuæ urbe, oppidis, ac locis, non obstante quavis consuetudine, etiam immemorabili, nundinas hujusmodi, seu potius mercatus celebrari in diebus festis patiaris.

Tenor mandati traditi ad nundinas prohibendas.

§. 3. Quocirca tibi, de cujus prudentia, fide, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad hujusmodi abusum tollendum, ac circa ea, quæ ad harum præsentium Nostrarum literarum executionem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea, quæ pro earumdem præsentium executione componere, constituere, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexeris plenam, et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur. Mandantes propterea omnibus, et singulis hominibus civitatis, oppidorum, et locorum prædictorum, aliisque, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, ut tibi in omnibus, et singulis præmissis prompte pareant, et obsequantur, tuæque mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententias, sive pœnas, quas rite tuleris in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, memoratis Benedicti prædecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis, et diœcesis prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis

superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXVI.

Dat. Romæ
die 15. aprilis
1783
anno IX.

Erectio sedis archiepiscopalis Latini ritus in civitate Mobiloviensi in Alba Russia ec.

Venerabili fratri Joanni Andræ archiepiscopo Chalcedonensi ad charissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Augustum Poloniæ regem illustrem nostro, et Sedis apostolicæ nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. **O**nerosa pastoralis officii cura, qua Ecclesiæ catholicæ per universum orbem diffusæ regimini superni dispositione consilii præsidemus, animum Nostrum jugiter sollicitat, ut animarum periculis, quantum in Domino possumus, mature occurrere, et spiritualibus Christifidelium, præsertim in longinquis partibus degentium, utilitatibus prospicere studeamus. Proemium.

§. 2. Quamobrem cum in vastissimo Russiaco imperio nulla Latini ritus constituta reperiat ecclesia, cujus episcopus, non modo ea, quæ sunt ordinis episcopalis exercent, sed etiam ad pascendam salutaris doctrinæ pabulo, custodiendamque illam catholici gregis partem, sedulo incumbat, liben-

Ratio deernenda erectio nis exponitur.

tissime eam occasionem amplexi sumus, qua Nobis de catholici episcopi opera, et solatio, tam dissitas regiones providere, Dei optimi maximi opitulante gratia, permittitur.

§. 3. Quod, ut feliciter, atque secundum Romanæ catholicæ Ecclesiæ regulas, ac instituta perficiatur, tibi, venerabilis frater de cujus fide, integritate, prudentia, et catholicæ religionis zelo plenam habemus in Domino fiduciam, præsentium auctoritate concedimus, ut durante legatione, quam tibi demandavimus apud potentissimam totius Russiæ imperatricem, civitatem Mohiloviæ in Alba Russia, namque ex illius civitatis, quæ tibi magis idonea visa fuerit, ecclesiis, secundum canonicas sanctiones, in metropolitanam, ac sedem archiepiscopalem Latini ritus pro uno archiepiscopo Mohiloviensi, seu Albæ Russiæ nuncupando, congrua aliqua assignata dote, erigas, ac constituas; cum pallii, et crucis deferendæ honore, aliisque omnibus juribus, prærogativis, atque insigniis, quæ de jure archiepiscopis, et metropolitanis competere dignoscuntur; ac præterea, ut prædictæ abs te sic erectæ, ac constitutæ metropolitanæ ecclesiæ virum honestum, et providum, ac in vinea Domini strenue laborantem, qui pontificali conveniat oneri, ac honori prædicta auctoritate Nostra deputes, ac præficias, cui, nisi jam episcopali caractere sit insignitus, vel tu ipse, vel alius quilibet episcopus per te deputandus cum duobus aliis episcopis apostolicæ Sedis communionem habentibus, vel, si non adsint, duobus ecclesiasticis viris in aliqua dignitate constitutis, episcopalis consecrationis munus impendas, vel impendat; pallium, quod ex beati Petri corpore desumptum tibi mittimus, eidem imponat, recepto tamen prius nostro, et Romanæ Sedis nomine juramento, quod tam in electi consecratione, quam in pallii traditione ab omnibus noviter electis archiepiscopis hæc apostolica Sedes recipere consuevit.

§. 4. Præterea, si in præfata Mohiloviensi per te designanda ecclesia, beneficia aliqua fundata existant, vel constitui possint, volumus, ut ea in canonicatus dignitatem, atque honorem, si ita ad Dei cultum, ejusdemque metropolitanæ erigendæ ecclesiæ decus noveris expedire, evehere possis, pro totidem clericis, aut presbyteris sæcularibus, qui capitulum ejusdem ecclesiæ, juxta canonicas sanctiones, ac præsertim juxta sacrosancti Tridentini concilii

decreta, constituent, atque componant, cum omnibus honoribus, prærogativis, ac juribus, quæ metropolitanarum ecclesiarum capitulis de jure conveniant.

§. 5. Ut vero in amplissimo totius Russiæ, ac aliorum regnorum, quæ prædictæ imperatricis subsunt imperio, novus abs te creandus Mohiloviensis archiepiscopus suam possit supra catholicos Latini ritus ordinariam auctoritatem, et jurisdictionem exercere, quoadusque altera Nobis alios catholicos episcopos deputandi sese offerat occasio, ac donec aliter per hanc apostolicam Sedem fuerit dispositum, omnes Christiani fideles tam ecclesiasticos, quam sæculares, universumque clerum, ac populum Latini ritus in Russia, atque aliis prædictis regnis existentem, quamvis alteri cujuscumque diœcesis episcopo hucusque subjectus fuisset, eidem novo archiepiscopo, suisque in archiepiscopatu prædicto canonicè subrogandis successoribus, deinceps subjectum declarare, ac decernere auctoritate Nostra tibi committimus, ac indulgemus, contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo: ita ut novus archiepiscopus, ejusque in archiepiscopatu legitimi successores, in Nostra, et apostolicæ Sedis communionem permanentes in prædictis regnis catholicas Latinorum ecclesias, vel per se ipsos, vel per alios ab ipsis delegandos, visitare, abusus tollere, fidelium mores corrigere, eaque omnia exercere possint, quæ juxta canonicas sanctiones, Tridentini concilii decreta, et apostolicæ Sedis constitutiones episcopis permittuntur, salva semper in omnibus Nostra, et hujus apostolicæ Sedis auctoritate.

§. 6. Cum vero in tam longinquis, vastissimisque regionibus, quæ ad Europæ, et Asiæ partes protenduntur, minime unus sufficere possit episcopus; ideo Nos animarum saluti, quantum in Domino possumus, prospicere volentes, tibi pariter, ut postquam novum archiepiscopum Mohiloviensem elegeris, ac in ejus ecclesiæ possessionem immiseris, coadjutorem illi cum futura successione, sacerdotem aliquem sæcularem probum, et idoneum designare, ac episcopalis ecclesiæ Gadarensis in partibus infidelium titulo decoratum, recepto ante consecrationem solito juramento, vel per te ipsum, vel per alium catholicum antistitem cum aliorum duorum episcoporum, si commode haberi poterunt, vel saltem duorum ecclesiasticorum aliqua dignitate fulgentium as-

Declaratio circa jurisdictionem novi episcopi.

Deputatio coadjutari cum futura successione.

Facultas erigendi novum episcopatum, et deputandi rectorem nuntio apostolico conceditur.

Licentia de erigendis canonicatibus in ecclesia metropolitana.

sistentia consecrare possis, et valeas, auctoritate Nostra concedimus, et impertimur. Ac demum, ut ea pro prudentia, ac religione tua peragas, quæ ad majorem Dei honorem, ac cultum, ac Catholicæ Ecclesiæ unitatem, et incrementum, ac ad Christifidelium spirituale bonum, et utilitatem magis in Domino noveris expedire, tibi enixe commendamus, præcipimus, ac hortamur.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis specialibus, vel generalibus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque ecclesiarum Latini ritus, quibus antea omnes Christifideles in Russia, aliisque regnis prædictis, ut præfertur, existentes subjecti erant, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXVII.

Dat Romæ
die 15 aprilis
1785
anno IX.

Exemptio seminarii Urbevetaui ab onere solvendi quolibet biennio scuta centum monasterio Nominis Jesu ejusdem civitatis vigore hæreditatis Capelletti.

Dilecto filio Nostro Paulo Francisco Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Antamoro nuncupato ex dispensatione apostolica episcopo Urbevetauo.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Apostolicæ auctoritatis, et providentiæ partes in utilitatem, et incrementum collegiorum, et seminariarum, in quibus adolescentes ad religionem, ac pietatem, et sacrarum doctrinarum studia efformantur, bonisque moribus imbuuntur, salubriter collocatas esse intelligentes, non sine maximo animi Nostri gaudio, cum a Nobis id petitur, libenter interponimus, et conferimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, eorumdem seminariarum incrementum, et animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Proemium.

§. 2. Sane pro ea pastoralis sollicitudine, ac paterna charitate, qua tuæ curæ, et vigilantie commissum gregem jugiter prosequeris, eoque studio, quo pro iis omnibus, quæ ad illius bonum, ac etiam temporale commodum spectare intelligis, enixe conaris, cum primum ad hanc ecclesiam, cui ex apostolica dispensatione præes fuisti assecutus tuæ providentiæ intuitum ad episcopale seminarium ad formam Tridentini concilii novissime institutum fore coniciendum intellixisti, et quoniam, quotidianum ejusdem seminarii cultam pro mercede præceptoribus, et ministris solvenda, tum pro alenda juventute, aliisque necessariis sumptibus adeo majorem esse suo satis tenui censu es deprehensus, ut propterea aliquod opportunum, atque firmum remedium huic malo esse adhibendum cognoveris; Nobis exponi fecisti, quod inter cætera, quæ a fel: rec: Paulo pp. V. prædecessore Nostro per suas in simili forma Brevis die xxi julii MDCXIV. expeditas literas circa hæreditatem quondam Muti Capelletti civis Urbevetaui fuerunt disposita, constituit quoque, ut

Quomodo disposita fuerit hæreditas Muti Capelletti declaratur.

executores dictæ hæreditatis: Capelletti pro tempore existentes quolibet anno summam scutorum ducentorum, et quinquaginta deponere deberent erogandam pro quantitate scutorum quatuorcentorum quolibet biennio in dotationem alterius puellæ, dictæ civitatis Urbevetanæ boni nominis, et famæ, et alicujus pauperis civis Urbevetani filiæ per eosdem executores eligendæ, quæ quolibet biennio in aliquo ex monasteriis dictæ civitatis religioni nomen dare exoptasset; pro residuali vero quantitate scutorum centum quolibet pariter biennio in utilitatem, ac fabricam ejusdem monasterii, quod ingressa foret dicta puella prærogandam; verum cum dicti executores ad construendam ecclesiam monasterio nominis Jesu dictæ civitatis Urbevetanæ ex fructibus dictæ hæreditatis partim ejusdem monasterii commodam diruere fecerint felicis recordationis Urbanus pp. VIII. prædecessor itidem Noster per suas in simili forma Brevis xxii maii MDCXXV. expeditas literas ad effectum perficiendi dictam ecclesiam, ac monasterium summam prædictam centum scutorum quolibet biennio, monasterio, quod puella esset ingressa, ut præfertur, assignanda eidem monasterio Nominis Jesu addixit, ac applicavit, prout in eisdem literis, quatum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, monasterium prædictum præter dotationem Capelletti scutorum quatuorcentum pro puella, ut præfertur, electa, quæ illud quolibet biennio ingreditur, quod privilegium per Nostras in simili forma Brevis die iii julii MDCCLXXV. expeditas literas confirmavimus, semper etiam receperit pro ejusdem monasterii, et adnexæ ecclesiæ fabrica alia scuta centum quolibet biennio, ut præfertur, solvenda, ecclesia vero ac monasterium hujusmodi, ut asseritur jamdiu perfecta, et absoluta sint; ac insuper a felicis recordationis Clemente pp. XIV. itidem prædecessore Nostro præter bona omnia ad collegium extinctæ societatis Jesu in hac civitate Nostra Urbevetana prius vigens; et in ejus tantum territorio existentia, quomodolibet spectantia, et pertinentia, præstolatio quoque scutorum centum quinquaginta pro publicis humanarum literarum scholis collegio posito prius a communitate, et hominibus dictæ civitatis assignata, ei-

dem tuo seminario fuerit unita, ac incorporata, immo magistratui ejusdem civitatis, quamvis antea actis temporibus communitas, et homines hujusmodi ea dumtaxat de causa dictam quantitatem scutorum tercentum quinquaginta tunc vigenti, nunc autem extinctæ societati Jesu persolverit, ut nempe publicum in eodem collegio haberetur gymnasium, nihilominus jus nominandi quatuor adolescentes, seu alumnos in seminario admittendos, ejusque sumptu alendos, fuit reservatum, seu potius concessum, prout in ejusdem Clementis in simili forma Brevis xv. januarii MDCCLXXIV. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

§. 3. Unde postmodum, exeunte nempe anno MDCCLXXXVIII. in congregatione venerabilium fratrum Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacrosancti Tridentini concilii interpretum gravis contestata est lis inter eundem magistratum ex una, et artifices Urbevetanos ex altera parte de, et super qualitate nominandorum alumnorum, scilicet de solo nobilium ac civium, vel etiam de artificum cœtu essent alumni eligendi, ac assumendi, quæ adhuc in eadem congregatione indecisa pendet, ad divini tamen cultus augmentum, et ad ecclesiasticæ disciplinæ progressum, summopere pertineret, quatenus nedum dicta scuta centum quolibet biennio dicto monasterio Nominis Jesu pro ejusdem monasterii, eique adnexæ ecclesiæ fabrica ab administratoribus hæreditatis Capelletti ad formam literarum dicti Pauli, et Urbani prædecessorum usque in præsens soluta, in posterum, cum ob transactionem inter deputatos ejusdem seminarii ex una, et dictæ hæreditatis administratores ex altera parte auctoritate Nostra per literas in simili forma Brevis die xxiii septembris MDCCLXXXII. expeditas confirmatam fuerit hæreditatis Capelletti administratio, sub certis tunc expressis conditionibus in deputatos seminarii transfusa; hac solutione tuum seminarium exoneraretur, sed etiam adempto magistratui prædicto quolibet jure nominandi quatuor alumnos prædictos seminarium ab onere eos alendi levaretur, prout a dictis oneribus respective liberari vehementer desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in præmissis opportune providere, et ut infra in-

Statu liti, subortæ inter nobiles, et artifices Urbevetanos, coram a congregatione Concilii.

dulgere de benignitate apostolica dignemur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur ex injuncto Nobis supremi pastoratus officio paternis illorum curis, ac sollicitudinibus, qui in Nostros cooperatores in vinea Sabaoth sunt delecti, quantum cum Domino possumus, adesse cupientes, tuisque votis annuere volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ac memoratas Pauli V. et Urbani VIII. ac Clementis pp. XIV. prædecessorum Nostrorum literas, nec non prædictas Nostras in simili-forma diei iiii julii MDCCLXXV. expeditas literas præsentibus pro plene ac sufficienter expressas, ac de verbo ad verbum insertas habentes circumspeditioni tuæ de cujus fide, integritate, doctrina, ac in rebus gerendis dexterritate plurimum in Domino confidimus per præsentem committimus, ac mandamus, ut in primis tuum seminarium ab onere solvendi quolibet biennio præter scuta quatuorcentum dicto monasterio Nominis Jesu in dotationem puellæ ab iis, qui alias essent hæreditatis Capelletti administratores eligendæ, quæ regularem habitum in dicto monasterio erit susceptura, alia scuta centum in causa fabricæ, seu aliarum suarum necessitatum levamen auctoritate Nostra apostolica eximas, et liberes, et exemptum, ac liberum esse decernas, atque declares.

Declaratio specialis super admissione alumnorum in seminarium.

§. 5. Insuper sperantes te, tuosque pro tempore existentes episcopos Urbevitanos successores omni remota personarum acceptione, eos dumtaxat in episcopali seminario fore admissuros, quorum indoles, et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis nedum perpetuo iuservituros, sed etiam conversatione, sermone, ac scientia homines, qui in mundo sunt illuminaturos, litem, et quæstionem prædictam de et super qualitate alumnorum nominandorum a magistratu Urbevitano inter eundem magistratum ex una, et artifices dictæ civitatis ex altera parte in congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium s. concilii Tridentini interpretum, ut præfertur, pendentem, cujus statum, et merita, ac iurium, actionum, exceptionum, et prætensionum tenores pro plene, ac sufficienter expressis haberi volumus, ad Nos advocantes, extinguentes, et cassantes, tollentes, et abolentes, tibi injungimus, ut quodcumque jus magistratui Urbevitano nominandi, et eligendi, quatuor

alumnos in tuum episcopale seminarium admittendos per prædictas Clementinas literas die xxv. januarii MDCCLXXIV. expeditas concessum auctoritate prædicta revocatum, cassatum, ademptum, abrogatum, irritum, ac annullatum, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuum esse mandes ac statuas, prout illud tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, ac annullamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuumus, ac propterea seminarium prædictum ab omni onere dictos alumnos admittendi, excipiendi, et alendi penitus eximas, ac liberes, prout illud tenore præsentium eximimus, ac liberamus. Cæterum per præsentem revocare non intendimus cætera omnia in dictis Clementis literis disposita, quæ hisce præsentibus contrariari, aut adversari non noscuntur, quæ salva, et illæsa, ac firma remanere volumus.

§. 6. Decernentes has præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritum.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit, memorati Mutii Capelletti dispositionibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac dictis Pauli, Urbani, Clementis prædecessorum Nostrorum, nec non Nostris literis, et jure quæsito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes, vocatis, quorum interest, ac Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii, ac magistratus prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contra-

Derogatio contrariorum.

rium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXVIII.

Beatificatio venerabilis ancillæ Dei Mariæ Annæ a Jesu tertii ordinis discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis redemptionis captivorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Angelicæ sanctitatis exemplar, angelos ambulantes in terra, hominesque angelorum agentes vitam dictos a patribus castitatis cultores, eosque hoc nomine habitos a majoribus Nostri omni ævo fuisse summis honoribus, ac justa veneratione dignissimos, plene neminem in sacris Ecclesiæ factis parumper versatum latere posse arbitramur. Quamvis autem plures, quorum viæ tenebræ, et lubricum ex impuro Jovinianistarum grege nostra etiam hac ætate surrexerint; qui non capientes verbum illud continentis laudibus ore impudico, scriptisque nefariis detrahere conati sunt. Nos tamen non carnis, et sanguinis, sed patris cælestis vocibus excitati virginitatem connubio tantum præstare cum Joanne Chrysostomo profiteremur, quantum cælum terræ, hominibus Angeli antecellunt.

§. 2. Eamque ob rem non potuimus certe, quin plurimum admiraremur Dei ancillam Mariam Annam a Jesu tertii ordinis discalceatorum, quos vocant, beatæ Mariæ virginis redemptionis captivorum monialem professam, quæ ætate incunte mundi illecebris, carnisque oblectamenti nuntium remittens integritatem vitæ, morum candorem, castitatemque sic coluit, ut virgo a Deo electa

in assiduo ejusdem Dei famulatu, et animo, et virtute præcellens ad obitum usque virgo permanserit. Equum autem cum primis est, ut tam fortis, ac religiosæ mulieris gloriam enarrent populi, et laudem ejus nuntiet Ecclesia, quæ cum splendenti virtutum lampade, oleoque præclare gestorum ad castissimas cælestis sponsi nuptias accedens, sponsi ejusdem convivii accumbere, atque illius æternis frui deliciis potuit.

§. 3. Cum itaque mature diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum processibus de apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eadem Dei ancilla Maria Anna a Jesu plurimum claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quodcumque Nobis videretur, prædictam Dei famulam beatam declarare cum consuetis indultis.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, et eximisque charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, et quamplurimum venerabilium fratrum archiepiscoporum, episcoporum, nec non capitulorum, Matritensis, aliarumque civitatum senatum, atque insuper totius ordinis beatæ Mariæ Virginis redemptionis captivorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati de suprascriptæ congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, ut eadem Dei ancilla Maria Anna a Jesu in posterum beate nomine nuncupetur; ejusque corpus, et reliquæ venerationi fidelium (non tamen in processibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur; ac de ea quotannis die felicissimi ejusdem obitus, vel, si hæc fuerit impedita, alia die ab episcopo designanda recitetur officium, et missa de communi Virginis non martyris cum oratione propria juxta rubricas missalis, et breviarii Romani.

§. 5. Porro recitationem officii, et missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine tam exalceatorum, quam non ex-

Judicium editum a s. rituum congregatione de virtutibus illius.

Beatificatio, et concessio officii, et missæ propriæ.

Reservationes speciales.

Dat. Romæ
15. maii 1783.
anno nono.

Proemium.

Laudes ancillæ
Dei.

calceatorum beatæ Mariæ Virginis de Mercede, in civitate Matritensi, in qua ortum duxit, atque ultimum Dei formula obiit diem, totaque diœcesi Toletana ab omnibus utriusque sexus Christianifidelibus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur; et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die, quo eadem literæ illuc pervenerint inchoando, in prædictis ecclesiis solemnità beatificationis ipsius Dei ancillæ cum officio, et missa sub ritû duplicis majoris die ab ordinario respective constituta, postquam in Nostra basilica sancti Petri in Vaticano de urbe celebrata fuerint eadem solemnità pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu secretarii dictæ congregationis subscriptis, et sigillo præfecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xiii maii MDCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXIX.

Dat. Romæ
13. maii 1783.
anno nono

Confirmatio donationis cappellæ, seu ecclesiæ fratribus ordinis Prædicatorum civitatis Portugallensis a regina fidelissima factæ.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Ad pastoralis dignitatis fastigium nullo licet meritorum Nostrorum suffragio per ineffabilem divinæ sapientiæ bonitatem evecti, ea, quæ ad religionis, et divini cultus, piorumque operum incrementum, et animarum salutem, proinde facta esse dignoscuntur, ut firmo, perennique robore subsistant, libenter, cum id a Nobis

petitur, apostolici muniminis Nostri præsidio constabilimus, præsertim vero, quoties sublimorum principum vota ad id accedant.

§. 2. Expõni siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, et fratres ordinis Prædicatorum conventus sancti Dominici civitatis Portugallensis, quod cum die xxiv aprilis anno MDCCLXXXVIII. fortuito incendio ecclesia dicti conventus consumpta fuerit, carissima in Christo filia Nostra Maria Francisca Portugalliæ, et Algarbiorum regina fidelissima infortunio hujusmodi commiserans cappellam, jam in solo ejusdem conventus ædificatam, ac ad confraternitatem tertii ordinis sancti Dominici die quinta aprilis MDCCLV. a felicitatis recordationis Benedicto pp. XIV. per suas literas apostolicas, ut asseritur, suppressam alias spectantem una cum sacrario, aliisque adnexis, ac necessariis supellectilibus eidem fratribus assignavit, et concessit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti, ut concessio, seu assignatio cappellæ, adnexorum, ac supellectilium hujusmodi firmiter subsistat, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Expositio præcæm porrectarum.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac etiam ejusdem Mariæ Francisæ reginæ fidelissimæ votis hisce Nobis desuper exhibitis annuere cupientes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, donationem, concessionem, seu assignationem cappellæ, una cum sacrario, aliisque annexis, ac necessariis supellectilibus a memorata Maria Francisca regina fidelissima dictis fratribus ordinis Prædicatorum, ut præfertur, factam, una cum omnibus, et singulis in ea contentis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adicimus, et omnes, ac singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Tenor concessionis.

Clausula sub-
lata, et decre-
tum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
tratorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima tertia maii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXL.

Dat. Romæ
13. maii 1783.
Anno nono

Approbatur resolutio confraternitatis s. Mariæ supra Mercatores nuncupatæ civitatis Recanatensis super manutentione unius juvenis, qui in Urbe studiis vacet, et confraternitatis negotia gerat.

Venerabili fratri episcopo Recanatensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater

Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio pre-
cum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis sanctæ Mariæ supra Mercatores nuncupatæ civitatis Recanatensis, quod ipsi ab anno usque MDCCXXXV. habito conventu pluribus suffragantibus statuerunt, ut quidquid, detractis expensis, ex annuis redditibus dictæ confraternitatis superesset in tot locis montium non vacabilium coemendis impenderetur, quorum fructus erogarentur in manutentione in Urbe unius personæ, quæ res, et negotia ejusdem confraternitatis, et communitatis Recanatensis procuraret, utque in electione dictæ personæ confrater aliquis, vel eo deficiente, aliquis cum

confratre consanguinitate, vel affinitate conjunctus alias nobilis ex eadem civitate præeligeretur. Hujusmodi vero confraternitatis statutum accurate servatum est ad annum usque MDCCLX, quo cum confraternitatis ecclesiam ruinam minitantem, ejusque oratorium reedificandi urgeret necessitas, superextantes redditus hujusmodi impendere cessatum est, statutumque, ut in posterum tam locorum montium, quam censuum iisdem superextantibus redditibus emptorum fructus cederent in subsidium unius juvenis, qui in Urbe operam navaret studiis, ac negotiis tam confraternitatis quam communitatis curam impenderet. Cum autem postmodum tu, frater episcope, unius curari in loco Balnioli erectionem duxeris necessariam, et annum redditum scutorum septuaginta monetæ Romanæ in subsidium curati, fabricæ ecclesiæ, et domus ejusdem curati, assignari ab eadem confraternitate postulaveris, ipsa confraternitas non solum dicta annua septuaginta scuta ab ejus redditibus jugiter desumenda consensit, sed insuper in eisdem fabricis octingenta, et amplius scuta similis monetæ impendit; ac quoniam ex eisdem superextantibus redditibus, cummulata pecunia non satis erat supplendis dictis expensis, eadem confraternitas, infrascripta cardinalium congregatione annuente, censum tercentorum scutorum paris monetæ super sua bona imposuit. Quia vero ipsa confraternitas modo dictum censum extinxit, et suspiras fabricas absolvit, cum denuo ad eum statum devenerit, ut superextantes redditus reponere valeat, et certos fundos acquirere, quorum fructus cedere possint in unius juvenis subsidium, qui in Urbe studiis operam navet, et confraternitatis simul, et communitatis Recanatensis negotiis insistat ipsi exponere, quo capta ab ipsa confraternitate de hujusmodi juvene, ut supra, in Urbe manutenendo resolutio firmiter subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostre patrocinio communitati summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Itaque hujusmodi precibus ab infrascripta cardinalium congregatione, ad quam eas remisimus, ad te pro informatione, et vota transmissis, informatio tua desuper edita una cum dictis precibus dilecto filio nostro Hyacintho Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pre-

sbytero cardinali Gerdil nuncupato tradita fuit, ut suum super præmissis ederet votum, quod fuit tenoris sequentis videlicet.

Tenor voti
emissi a cardina-
li Gerdil.

§. 2. Quoniam Eminentiae Vestrae sententiam qualemcumque meam exquisierunt, principio illud statuo, in quocumque negotio aliud esse substantiam rei, aliud vero modum. Consilium sane oratorum quo ad substantiam utile, ac laudabile est, cum in bonum reipublicae, religionisque ex æquo conspirat recta, ac christiana juventutis educatio in quam causam fructus sodaliti, omnibus deductis oneribus impendere, charitas est. Concinit etiam episcopi votum, *ut supra vidimus*, nec dissentire videtur *Monacello qui in supplemento tom. I. form. legal. practic. pag. 27. edit. Romæ anno 1714. num. 255.* postquam *num. præcedenti* statuit solemnitatem pro alienatione honorum necessariam requiri etiam, ut confratres possint contractu perpetuo sodaliti onerare annua solutione certæ pecuniæ, ait, episcopum non debere impedire. Si con-
fratres solvere velint, cum sit opus
piam, nisi in casu, quo alia opera
pietatis proprii instituti desererent,
prout respondit sacra congregatio
episcoporum in Ferentina constitu-
tionis xxiv. novembris MDC. in
qua confraternitates voluntarie con-
currebant pro solutione salarii mag-
istri scholæ. Igitur ex Monacello
operis alicujus pii exercitium ex su-
perextantibus redditibus permitti po-
terit sodaliti; ac per consequens apo-
stolicum in eam rem concedi bene-
placitum. Hinc quærendum est de mo-
do; ex quo, si bene disponatur, pro-
fectus, et utilitas maxima sperari; sin
autem male, damna non levia pro-
venire possunt. De ætate nempe, de
moribus, deque aliis ad negotium op-
portunis solliciti esse debemus.

De iis exquisivi sensum episcopi, qui confraternitatis in unum collectæ, votum accepit, *quod in folio signat. lit. D. clare, ac perspicue continetur* summa conditionum adiciendarum, quæ convenientissimum statuunt modum hæc est: sane confraternitas primo intendit in hoc juvene jurisperitum habere, qui publici privati que boni auctor sit, et promotor, optimum ideo erit si ætas dicti eligendi juvenis sit *annorum xx.* et ipse legitime doceat, philosophiæ curriculum complevisse: ast nisi studia cum virtutum laude conjungantur, nihil

prodest scientiarum acquisitio, imo vero plurimum obest. *Etsi non verim omnem scientiam charitatem autem non habuero nihil sum* pro lege itaque stet oportet, ut antequam juvenis eligatur bonum testimonium de vita, et moribus a proprio parochio habeat; electione autem sequuta, moram in Urbe faciat omnino, vel in religiosa domo, vel in collegio Piceno (quod oratores, ut omnibus aliis auteponatur, humillime petunt) ne autem unus tantum omnivitæ suæ tempore subsidio gaudeat, exclusis cæteris, qui tali medio proficere possent doctrinæ laude, et præclare gestis, *octo annorum* spatium profuisione subsidii unicuique præfiniatur ulterius non protrahendum; ita tamen ut habita prudentiori methodo notitia de profectu alumni in studiis, deque moribus christiano viro dignis quoque biennio confirmationem (ipsomet petente) obtineat, quatenus illa dignus inveniatur; et ea non obtenta menstruum stipendium illico cesset alteri assignandum. Hæc, aliaque in eorum conventibus præmeditata a sodalibus, rei, de qua agitur, accommodatissima, et adeo religiose servanda mihi visa sunt, ut censeam, juvenes, qui præscriptis qualitatibus destituuntur, neque ad concursum esse admittendos. At vero ad majorem elucidationem addendum puto, quod favor erga sodales ita protendi debeat, ut in concilio diei xviii septembris MDCCLXXXII. extendi debere confratres decreverunt.

Duo nihilominus menti meæ obversantur, quæ difficultatem aliquam pariunt, et quæstionem 1.º Capiunt oratores, quod alumnos nedum sodaliti, verum et *communitatis Recineti* negocia agat. Id quamvis non videatur e diametro repugnare qualitati subsidii præstandi ex bonis sodaliti, quod pro laicali habendum esse suadent rationes ab iisdem oratoribus adductæ; nihilominus alumni ipsius utilitati deträhere potest. Si enim iste graviore negotiorum mole, et multiplici rerum agendarum anfractu prematur, in diversa nimium distracta mente ad studia ineptior erit, quæ quidem studia præcipuum hujus operis momentum constituunt; neque aliunde dicta communitas aliquid impendit pro juvenis alimonia, operisque mercede. Præterea vero, quum præfiniri debeat ætas annorum viginti hæc ætas ipsa minus apta videtur negociis gerendis.

Secundo quoties deficient primo contemplati, vocatur in subsidium; media tamen electione, unus private *ex nobilium cœtu* ut supra exposui. Sed non video, cur nobiles tantummodo in casu præeligi debeant; ac perpetuo excludi juvenes de ignobili stirpe progeniti, quamvis fortasse optimæ expectationis, et nonnunquam adhuc prænobilibus. Concedendum potius ut, in pari meritorum causa nobilis præeligatur, nec assumi possit, nisi qui *Recinetensis* sit, prætermissis alienigenis, quoniam *Recinetense* est solaritium.

Quæ dum dixerim EE. VV. sapientiori iudicio submitto, et earum manus humillime deosculor.

EE. VV.

Datum Romæ ex collegio s. Caroli ad catinarios hac die 14. martii 1783.

Tenor decreti editi a congregatione Concilii.

§. 3. Die xv. martii MDCCLXXXIII. sacra congregatio eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum, attenta relatione episcopi Recanatensis, perpensoque voto eminentissimi domini cardinalis Gerdil ad huiusmodi negotium examinandum ab eadem sacra congregatione deputati, censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit per suas literas apostolicas in forma Brevis eidem episcopo committi posse, ut veris existentibus narratis, supradictam resolutionem juxta superius descriptum votum ipsius eminentissimi relatoris, pro suo arbitrio, et conscientia gratis approbet, atque confirmet.

L. cardinalis Pallavicinus.

Lo X co Signi

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurreriat, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super præmissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, et votum supradicti Hiacynti cardinalis ad huiusmodi negotium examinandum ab eisdem cardinalibus deputati perpenderunt, consilio, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris exi-

stentibus narratis, supradictam resolutionem juxta superius descriptum votum ipsius Hiacynti cardinalis auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia gratis approbes, atque confirmes.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima tertia maii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

CDXLI.

Commissio super instructione promovendorum ad archiepiscopatus Indianos ec.

Dat. Romæ 16 maii 1782. anno nono.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Quanta cura, et qua sollicitudine cum sacrum Tridentinum concilium, tum etiam Nostri prædecessores, et præsertim felicitis recordationis Gregorius pp. XIV. prædecessor itidem Noster in sua constitutione, quæ incipit = Onus apostolicæ servitutis = sub datum die 15 maii MDXCI. præcavendum esse censuerint, ut manus cito nemini imponerentur, ne scilicet ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ sacerdotalis honor tribueretur, neve indignis, et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium, et ecclesiarum gubernatio crederetur, plures ordinationes, et leges, quæ circa promovendorum ipsis angelicis humeris formidandum, episcopatus ministerium, fidem, vitam, mores, doctrinam, et prudentiam tulerint, quam maxime comprobent; siquidem inter cætera memoratus Gregorius prædecessor providentiæ concilii Tridentini disponendis, ut in provincialibus synodis per metropolitanos habendis præscriberetur, quibusque locis, et provinciis propriæ examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma Romani pontificis arbitrio approbanda, quæ magis

Quæ requirantur ad promotionem episcopi enumerantur.

eisdem locis utilis, et opportuna esse videretur, cui tunc temporis, nisi a paucissimis obtemperatum fuerat, supplere desiderans, ne interim lupi rapaces, potius ad dispergendum, quam boni pastores ad pascendum Domini-cum gregem se se intruderent, unde ad episcopalis dignitatis collegium sublimando indignum alienis peccatis communicarent, de fide, vita, moribus, doctrina, et prudentia promovendorum instructionem, examen, et inquisitionem, dum extra curiam esset facienda, ad eisdem Tridentini concilii mentem apostolicæ Sedis legatis, seu nunciis provinciarum, aut ejus, de quo sit inquisitio, ordinario, eoque deficiente, ordinariis vicinioribus, juxta modum, ac formam in eadem constitutione expressam commisit.

Exceptiones
adhibitis pro
episcopis in In-
diis promovenda.

§. 2. Verum sicut Nobis nuper exponi fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quamvis usque in præsens religiosissime in Hispaniis, dum de promovendorum hujusmodi inquisitione, ac examine suscipiendo agitur, insinuata methodus sit observata, et adhuc observetur; attamen, quoties res est de præficiendis episcopis cathedralibus ecclesiis in Indiis existentibus, sive sint promovendi nati, et commorantes in Indiis, sive nati Indi, et commorantes in Hispaniis, sive nati Hispani, et commorantes in Indiis, deficiente legato, aut nuncio apostolico, aut alio legati apostolici vicesgerente in regnis Hispaniarum prædictis, cum ob ecclesiarum metropolitanarum, et cathedralium in iis dissitis regionibus summum inter se intervallum, tum etiam ob dubium, num ab ordinario loci, aut domicilii sit assumendum præscriptum examen Gregorianæ constitutionis methodus aliqua secum ferat incommoda, ut nempe ecclesiæ hujusmodi sæpe sæpius, non sine gravi animarum Christianifidelium detrimento diu suis pastoribus sint viduatae, aliæque exoriantur disputationes, quibus memoratus Karolus rex catholicus pro ea pietate, ac religionis zelo, quo in iis omnibus impense nititur, quæ nedum temporale, sed etiam spirituale suorum subditorum bonum respiciunt, obviam ire summo opere desiderans; Nobis humiliter supplicari facit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Remittantur
conditiones
voluntate a con-
stitutione Gre-
goriana, pro

§. 3. Nos igitur, qui æque ac prædecessores Nostri probe novimus, quanti intersit, idoneos pastores ecclesiis præficere, cum integritas præsentium sa-

lus sit subditorum, et quanti Christianifidelium bono referat ecclesiæ viduatae luctus, quod citius per novam sui episcopi electionem abstergere, quoniam ex experientia ipsa inferre licet, Gregorianam constitutionem prædictam ad ecclesias in Indiis, ut præfertur, consistentes, nisi incommode extendi, a dicta dispositione concilii Tridentini, ut nempe cum non uniformis ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate ad sumendam de qualitate promovendorum debitam instructionem, et examen, ratio possit adhiberi, in provinciali synodo præscribitur, quibusque locis faciendæ inquisitionis, et instructionis forma non recedentes, nec non dicti Karoli regis catholici votis annuerent volentes, memoratam Gregorianam constitutionem præsentibus pro plene, ac sufficienter expressam, ac de verbo ad verbum insertam habentes, ut deinceps perpetuis futuris temporibus, si eligendi, ac præficiendi erunt episcopi ecclesiis metropolitanis, aut cathedralibus in Indiis eidem Karolo regi catholico subjectis consistentibus, de promovendorum fide, vita, moribus, doctrina, et prudentia examen, instructio, seu inquisitio, quantum in regnis Hispaniarum nullus apostolicus legatus, aut nuncius, aut alius legati vicesgerens adsit, ab archiepiscopo Toletano, eoque deficiente ab inquisitore generali hæreticæ pravitate in Hispania existenti, quo pariter deficiente, a patriarcha Indiarum respective pro tempore existentibus erit facienda, servata in reliquis ejusdem Gregorianæ constitutionis forma, nisi justis de causis Nobis, aut pro tempore existenti Romano pontifici per speciale mandatum alteri hoc munus quandoque committendum visum fuerit, auctoritate apostolica decernimus, constituimus, ac mandamus.

episcopis an-
tedictis.

§. 4. Quod si forte aliquis prædictorum consanguinitate, aut affinitate usque ad tertium gradum inclusive promovendum contigerit, ut omnis suspicio carnalis affectus a tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus, atque eum, qui proxime sequitur, si legatus, aut nuncius, aut quivis alius legati vicesgerens excludendus erit, ad archiepiscopum Toletanum, si archiepiscopus Toletanus, ad inquisitorem generalem si inquisitor generalis, ad patriarcham Indiarum inquisitionis officium deferri, auctoritate, et tenore prædictis volumus, ac declaramus.

Declarationes
speciales.

Clausula sub-
lata, et decre-
tum irritans.

§. 5. Decernentes has præsentis li-
teras semper firmas, validas, et effi-
caces existere, et fore, suosque plena-
rios, et integros effectus sortiri, et ob-
tinere, ac illis, ad quos spectat, et pro
tempore quodcumque spectabit in
omnibus, et per omnia plenissime suf-
fragari, et ab eis respective inviolabi-
liter observari; sicque in præmissis per
quoscumque iudices ordinarios, et de-
legatos etiam causarum palatii aposto-
lici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ cardinales, etiam de latere le-
gatos, ac sanctæ Sedis nuncios, sub-
lata eis, et eorum cuilibet quavis aliter
judicandi, et interpretandi facultate, et
auctoritate, judicari, et definiri debere,
ac irritum, et inane, si secus super
his a quoquam quavis auctoritate scien-
ter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
trariorum.

§. 6. Non obstantibus memorati
Gregorii prædecessoris, aliisque apostoli-
cis, ac in concilio Tridentino, et in
universalibus, provincialibusque, et sy-
nodalibus conciliis editis generalibus,
vel specialibus constitutionibus, et or-
dinationibus, et aliis decretis in genere,
vel in specie, etiam motu, scientia, et
potestatis plenitudine paribus, ac con-
sistorialiter, et alias in contrarium
præmissorum quomodolibet conces-
sis, approbatis, confirmatis, et in-
novatis. Quibus omnibus, et singulis
etiãsi pro illorum sufficienti deroga-
tione de illis, eorumque totis tenori-
bus specialis, specifica, expressa, et
individua, ac de verbo ad verbum,
non autem per clausulas generales idem
importantes mentio, seu quævis alia
expressio habenda, aut aliqua alia ex-
quisita forma ad hoc servanda foret,
tenores hujusmodi præsentibus pro ple-
ne, et sufficienter expressis, ac insertis
habentes, illis alias in suo robore per-
mansuris, ad præmissorum effectum
hac vice dumtaxat specialiter, et ex-
presse derogamus, cæterisque contrariis
quibuscumque. Datum Romæ apud san-
ctum Petrum sub annulo piscatoris die
decima sexta maii millesimo septin-
gentesimo octuagesimo tertio, pontifi-
catus Nostri anno nono.

CDXLII.

Dat. Romæ
16. maii 1785.
anno nono

Supprimitur monasterium monialium
in loco di Cerreto Spoletanæ diœcesis
existens, et applicantur ejus bona
conservatorio puellarum ibi erigendo.

Venerabili fratri
Francisco Mariæ episcopo Spoletano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. **R**omanum decet pontificem Proemium.
tamquam fidelem servum, ac pruden-
tem, quem constituit Dominus super
familiam suam non modo spiritualium
providentiam Catholicæ Ecclesiæ, quan-
tum divina bonitas largitur, jugi vi-
gilantia exhibere, sed et temporalium
circumspectioni suorum, et apostoli-
cæ Romanæ Sedis etiam quoad tem-
poralia subditorum commodis indesi-
nenter consulere, eaque de causa ea
omnia sollicitis studiis curare, quæ
communis utilitatis rationi, et repu-
blicæ saluti consentaneum esse in Do-
mino arbitratur. Hoc sane consilio cum
nil magis et religioni, et reipublicæ
proficuum sit, quam homines a primis
annis, et dum adhuc passiones in eo-
rum animis non invalere, recte in-
stituere in variis ditionis ecclesiasticæ
civitatibus, oppidis, ac locis brepho-
trophia, conservatoria, seminaria, ac
etiam ubi opus fuit, reclusoria tum
ut juventus ad pietatem, et religionem
informaretur, cum etiam, sic exigente
necessitate, ut effrænis arrogantium vita
cohiberetur, vel ampliori censu auxi-
mus, vel etiam de novo ereximus.

§. 2. Cum itaque pro ea pastora-
li sollicitudine, ac charitate, qua Do-
minicum gregem tuæ curæ, ac vigi-
lantia commisit prosequeris, eoque
studio, quo pro iis omnibus, quæ ad
illius bonum, ac etiam temporale com-
modum spectare intelligis, enixe co-
naris aliquod reclusorium in hac tua
satis ampla diœcesi, in quo puellæ ab
undique instantibus periculis tueantur,
et muliebribus artibus perficiendi, sci-
licet nendi, et trahendi cannabim, et
lanam, easque etiam texendi imbuan-
tur, erigere summopere desideres. No-
bis hinc nuper exponi fecisti, quod
in loco di Cerreto tuæ Spoletanæ diœ-
cesis monasterium sancti Jacobi san-
ctimonialium ordinis sancti Benedicti

Ratio conces-
sionis.

erectum existit, in quo tres dumtaxat moniales chorales, et tres conversæ, quæ omnes, vel ob ætatem, vel ob alia incommoda sunt valitudinariæ, vitam degunt, eaque propter impares omnino sunt vitæ regularis disciplinam retinere, nullaque subsit spes, ut aliquando novæ admitti possint postulantes ob dissentiones, et discordias, quæ antea temporibus illam communitatem dilacerarunt; propter quas duæ etiam moniales a dicto monasterio ad alia monasteria confugerunt, ad reipublicæ bonum, et dicti loci utilitatem pertineret, quatenus prævia ejusdem monasterii suppressione, abolitione, et extinctione, ac sanctimonialium in dicto monasterio nunc commorantium ad alia monasteria ejusdem ordinis translatione sua bona, jura, et actiones etiam ad hæreditatem bonæ mem: Armodij Maccioni quomodolibet spectantia, et pertinentia novo in loco di Cerreto erigendo, ac instituendo conservatorio ad excipiendas puellas, undique instantibus periculis expositas, unirentur, ac incorporarentur, prout uniri, et incorporari summopere desideras.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur tuis votis, quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuæ, de cujus fide, prudentia, integritate, et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per præsentis committimus, ac mandamus, ut monasterium prædictum sancti Jacobi in loco di Cerreto tuæ Spoletanæ diocesis, auctoritate Nostra apostolica supprimas, et extinguas, ac suppressum, et extinctum esse decernas, atque declares, prout auctoritate prædicta perpetuo supprimimus, ac extinguimus. Sanctimonialia porro in dicto monasterio, ut præfertur, suppresso, et extincto ad alia monasteria ejusdem ordinis sancti Benedicti, prævio tamen consensu monialium dictorum monasteriorum, ac assignata eisdem sanctimonialibus congrua annua quantitate fructuum honorum, ad primodictum monasterium quomodolibet spectantium auctoritate prædicta transferas; bona vero, jura, et actiones ad monasterium hujusmodi etiam juribus hæreditatis memorati Armodij Maccioni, cujus dispositioni, quam præsentibus pro plene, ac sufficienter expressam, ac de verbo ad verbum insertam haberi volumus, derogare intendimus, quomodolibet spectantia conservatorio, ut præfertur, in dicto loco di Cerreto erigendo eadem auctoritate

applicas, et concedas. Tibi insuper injungimus, ut ex redditibus, proventibusque dictorum honorum una, aut duabus mulieribus magistris piis nuncupatis ad dictum locum pro recta puellarum educatione, ac religioni, et artibus institutione accessitis congruam annuam quantitatem assignes; utque postquam dictum conservatorium erit erectum ex iisdem bonis annuum dotale subsidium pro summa scutorum viginti illi puellæ inter cæteras attribuendum, quæ ob morum integritatem, suam in Deum pietatem, ac paupertatem dignior reputabitur esse detrahendum eadem auctoritate edicas, et mandes.

§. 4. Quoniam autem decet Nostræ providentiæ intuitum ad eas puellas convertere, quæ cum essent de descendenti, ac sanguine dicti Armodij Maccioni, ejusque genitoris, erant ex illius dispositione in dictum monasterium, ut præfertur, sic suppressum gratis admittendæ, ac alendæ, ut in erigendo conservatorio, quoties illud institutum erit omnes puellas, quæ coram ordinario se esse de descendenti, et sanguine dicti testatoris, volumus, ac mandamus. Hortamur tandem fraternitatem tuam, ut onera missarum, aliaque legata pia, quibus dictum monasterium gravatum forsitan existit adimpleri cures, illorumque satisfactioni in futuris perpetuis temporibus pro tuo arbitrio, et conscientia consulas.

Declarationes speciales.

§. 5. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublatæ, et decretum irritans.

§. 6. Nou obstantibus, quatenus opus sit, memorati Armodij Maccioni, aliorumque piorum testatorum dispositionibus, etiam testamentariis, codicillis, quod quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus; de jure quesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones per-

Derogatio contrariorum.

petuas, nisi in casibus a jure permis-
sis fieri prohibentis, aliisque apostolicis,
ac in universalibus, provincialibusque,
et synodalibus conciliis editis generali-
bus, vel specialibus constitutionibus,
et ordinationibus, nec non dicti mona-
sterii etiam juramento, confirmatione
apostolica, vel quavis firmitate alia ro-
boratis statutis, et consuetudinibus; pri-
vilegiis quoque, indultis, et literis apo-
stolicis superioribus, et personis sub
quibuscumque tenoribus, et formis, ac
cum quibusvis etiam derogatoriis
derogatoriis, aliisque efficacioribus,
efficacissimis, ac insolitis clausulis,
irritantibusque, et aliis decretis in ge-
nere, vel in specie, ac aliis in con-
trarium quomodolibet concessis, appro-
batis, et innovatis. Quibus omnibus, et
singulis illorum tenores præsentibus pro
plene, et sufficienter expressis, ac de
verbo ad verbum insertis habentes, illis
alias in suo robore permansuris ad præ-
missorum effectum hac vice dumtaxat
specialiter, et expresse derogamus, cæ-
terisque contrariis quibuscumque. Da-
tum Romæ apud sanctum Petrum sub
annulo piscatoris die decima sexta maii
millesimo septingentesimo octuagesimo
tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLIII.

Facultas confraternitati sanctissimæ Tri-
nitatis redemptionis captivorum Lu-
canæ civitatis erogandi portionem ele-
mosynarum pro redemptione capti-
vorum perceptarum, in expositionem
sanctissimi Sacramenti.

Venerabili fratri Martino archiepiscopo
Lucano.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. Exponi Nobis nuper fece-
runt dilecti filii prior, et confratres con-
fraternitatis sanctissimæ Trinitatis redem-
ptionis captivorum in ecclesia sancti Hiero-
nymi hujus civitatis Lucanæ erectæ,
quod Nos alias illorum precibus Nobis
humiliter porrectis per Nostras literas
die xvii novembris MDCCLXXV. in
simili forma Brevis expeditas eidem

Bull. Rom. Tom. VII

confraternitati, ut sui confratres, ac
consorores in diebus quadragesimæ, ac
aliis vigiliis anni ovis, ac lacticiniis vesci
libere, ac licite possent, sub certis
tamen conditionibus, ac forma conces-
simus, et indulimus, prout in eis-
dem literis, quarum tenores præsentibus
pro plene, et sufficienter expres-
sis, ac de verbo ad verbum insertis
haberi volumus, uberius continetur;
quodque subiinde hoc indultum ad omnes
personas in hac tua diocesi existentes,
ea tamen lege, ac conditione, ut una-
quæque eam eleemosynam in redem-
ptionem captivorum nationalium ero-
gandam, quæ a te, tuisque succes-
soribus pro tempore existentibus præ-
finita esset, per gratiosum Nostrum
rescriptum ordinarii arbitrio exequen-
dum extendimus, ac propagavimus.

§. 2. Cum autem sicut eadem expo-
sposito subjungebat, eadem confrater-
nitas præter fructifera capitalia, grandem
etiam quantitatem numeratæ pecuniæ
ab eleemosynis prædictis perceptam, quæ
etiam quotidie augetur ob numerum il-
lorum, qui indulto prædicto uti desi-
derant; ita ut annua scuta tercenta, et
ultra percipiantur, possideat, ad divini
cultus augmentum pertineret, si in
ecclesia dictæ confraternitatis juxta lau-
dabilem hujus civitatis Lucanæ consue-
tudinem, ut quotidie in aliqua ex suis
ecclesiis per turnum fiat expositio san-
ctissimi Eucharistiæ sacramenti, dum
contingat ob paupertatem aliquarum
ecclesiarum nisi ex emendicatis pecu-
niis fieri possit in certo anni tempore
sanctissimum Eucharistiæ sacramentum
exponeretur; ut vero necessariis impen-
sis facere satis valeat aliqua portione
ex pecuniis, ut præfertur, ab fidelium
eleemosynis perceptis erogari posse sum-
mopere desiderent. Nobis propterea hu-
militer supplicari fecerunt, ut sibi in
præmissis opportune providere, et ut
infra indulgere de benignitate aposto-
lica dignaremur.

§. 3. Nos igitur exponentes prædi-
ctos specialibus gratiis, et favoribus
prosequi volentes, et eorum singulares
personas a quibusvis excommunicationis,
et interdicti, aliisque ecclesiasticis
censuris, et sententiis, et penis quovis
modo, et quacumque de causa latis;
si quas forte incurrerint, hujus tantum
rei gratia absolventes, et absolutos fore
censentes, supplicationibus eorum no-
mine Nobis humiliter porrectis incli-
nati, fraternitati tuæ, de cujus fide,
prudencia, ac religionis zelo plurimum
in Domino confidimus, per præsentem

S 2

Dat. Romæ
16. maii 1783.
anno nono

Expositio præ-
cum.

Ratio conces-
sionis.

Tenor conces-
sionis.

committimus, ac mandamus, ut eisdem exponentibus de pecuniis, ut præfertur, perceptis annuam summam scutorum triginta pro expositione sanctissimi Eucharistiæ sacramenti, ac etiam summam arbitrio tuo præfiniendam pro comparandis necessariis suppellectilibus sacris erogandi, et impendendi plenam, et amplam facultatem auctoritate Nostra apostolica impertiaris.

Clausula sub-
iata, et decre-
tum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
trariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, memoratis literis, et rescripto Nostris, nec non confraternitatis prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indulgentiis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta maii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLIV.

Dat. Romæ
20. maii 1785.
anno nono.

Provincia Lusitana congregationis clericorum regularium ministrantium infirmis se jungitur a congregatione prædicta, et erigitur in novam congregationem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **A**postolicæ Sedis auctoritas, quæ universi catholici orbis consulit felicitati religiosorum, ordinum commodo, et tranquillitati, sic semper prospexit, ut ea omnia opportunis sancitis legibus decreverit, quæ ad illorum regimen, atque incolumitatem conferre in Domino videretur. Pastoralis quippe Romanorum pontificum cura in eo tota est, ut quidquid ad vineam Domini colendam, ad catholicæ religionis administratos sublevandos, et ad pacem servandam pertinet enixis viribus studeat providere.

Præmium.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ expositum fuit, urgentibus justissimis de causis, necessariam esse separationem Lusitanæ provinciæ clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis a præpotito generali extero, idque regularis disciplinæ ejusdem congregationis, et provinciæ conservationi magis, magisque conferre posse, esse sperandum.

Expositio præ-
cum potrecta-
rum a regina
fidelissima.

§. 3. Nos igitur rite, ac mature omnibus perpensis rationum momentis, quæ separationem huiusmodi suadere poterant, audito prius præposito generali dictæ congregationis, deque ejus consilio, ac votis ejusdem Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, clericosque prædictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinatis, memoratam Lusitanam provinciæ clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis, omnes scilicet domos ejusdem congregationis in regni eidem Mariæ Franciscæ subjectis consi-

Tenor con-
suetudinum.

stantes, ac personas omnes a subjectione, jurisdictione, correctione, obedientia, et visitatione exteri præpositi generalis dictæ congregationis perpetuo eximimus, et liberamus, eandemque provinciam, seu dictas domos, sic exemptas, et separatas in novam congregationem Lusitanam clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis nuncupandam auctoritate, et tenore prædictis erigimus, et institui-

Privilegia tribula novæ congregationi.

§. 4. Præterea clericis novæ huiusmodi congregationis Lusitanæ, sic a Nobis per præsentem erectæ facultatem juxta regulares suæ congregationis constitutiones apostolica auctoritate confirmatas sibi eligendi vicarium generalem modo, ac forma, quo in capitulo provinciali illi eliguntur, qui suffragium ferre debent in capitulo generali, pari auctoritate, et tenore concedimus. Insuper cum hæc quoque nova congregatio ab uno vicario generali, quatuor consultoribus, ac uno arbitro secretario regi, et gubernari debeat, qui omnes iisdem facultatibus, auctoritate, honoribus, prærogativis, privilegiis, et exemptionibus polleant, quibus præpositus generalis totius congregationis prædictæ, ac consulta generalis respective pollent; suisque officiis eodem prorsus modo, ac forma, quæ a literis apostolicis, decretis, ac rescriptis itidem apostolicis, et constitutionibus congregationis prædictæ sunt præscripta, fungi debeant; volumus propterea, ut electo vicario generali, ut præfertur, quemadmodum in capitulo generali fit electio consultorum generalium, ita ab eo eligantur quatuor consultores, quibus electis una cum vicario generali præfecti locales, et vice præfectus domus sancti Camilli civitatis Lisbonensis, in qua munus præfecti vicarius generalis pro tempore existens geret, ab iis designentur, utque officia vicarii generalis, suorumque consultorum ad sex annos, præfactorum vero ad biennium dumtaxat durent; vicario vero generali, ac consultoribus prædictis exactis eorum officiis, ut omnibus privilegiis, exemptionibus, et prærogativis, quibus ex-generales, et ex-consultores generales totius congregationis prædictæ utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, una cum jure suffragii in capitulo ad eligendum vicarium generalem coacto, pari modo uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, ita

tamen, ut nullo modo exempti a regulis instituti, quoad debita nosocomiorum servitia censeantur auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus. Tandem eidem congregationi sic noviter erectæ, illiusque ecclesiis, ac clericis regularibus nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, favoribus, indulgentiis, exemptionibus, indultis, suffragiis, aliisque gratiis spiritualibus, et temporalibus, quibus eadem congregatio, illiusque ecclesiæ, ac clerici ante dismembrationem, separationem, et exemptionem prædictam, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, et indulta hujusmodi ipsi congregationi post suam separationem, et exemptionem prædictam, illiusque ecclesiis, et clericis specialiter concessa reperirentur; ita tamen, ut defunctis suffragia præsentent a capitulis generalibus ordinata, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur; ipsique, ut omnes literæ apostolicæ, Brevia, decreta, rescripta, aliæque clericis regularibus ministrantium infirmis concessa, quæ hisce præsentibus Nostris literis non adversentur, ejus favore suum plenum sortiantur effectum auctoritate, et tenore prædictis elargimur.

§. 5. Quoniam vero hæc prima vice aliquæ dissentiones, et animorum studia exoriri forsitan poterunt in electione superiorum ejusdem congregationis, hinc motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine in vicarium generalem dilectum filium Joachim das Neves Libeiro, in consultores dilectos filios Emmanuelem Josephum Tituao, Emmanuelem Rodrigues de Carvalho, Jacobum Galitia, et Isidorum Cardozo de Menezes, in arbitrum vero, et secretarium dilectum filium Gondisalvum Monteiro cum omnibus, et singulis auctoritate, jurisdictione, privilegiis, indultis, et præeminentiis, quibus vicarius generalis, consultores, et arbiter, ac secretarius uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, facimus, ac deputamus.

Deputatio primi præpositi generalis, aliorumque officialium.

§. 6. Decernentes has præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit

Clausula sublata, et decretum irritans.

in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
suetudinum.

§. 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit quibusvis dictæ congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis; ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima maii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLV.

Dat. Romæ
23. maii 1785.
anno nono.

Beatificatio servi Dei Laurentii a Brundisio sacerdotis professi ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **I**llustrium pietate, atque excellenti catholicæ religionis studio insignium heroum cultus, ac veneratio dum maxime excitat fidelium animos, eosque inflammat, ut honorabilem Deum in sanctis suis magna, ac mirabilia facientem adorent spiritu, et veritate; tum illos invitat, allicitque, ut præclara eorum gesta, qui strenue viam divinorum mandatorum cucurrerint, exquantur. Hujusmodi enim est spectatæ virtutis ratio, ut quos solemnî veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur; quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus, quorum dilectamur præconiis, sublevemur eorum patrociniis. Ecquis autem mendicus erit, qui sociis, amicis, contubernalibus suis omni deliciarum genere extractam a rege luculentissimo mensam inspiciens, vel tantæ liberalitatis magnificentiam non admiretur; vel ante januam adhuc jacentem sese sustentari saltem de micis, quæ cadunt de mensa regis non postulet; immo non etiam confidat tanta ciborum ubertate plenissime se saturatum iri? Pauperes Nos quidem certe facti sumus. Dominus autem virtutum ipse est rex gloriæ, qui fidelibus suis divinas avide esurientibus epulas non modo cibaria mittit abundantæ, sed e difficili via revocatos in patriam delictis omnibus; bonisque sic replet, ut egestati etiam Nostræ facile ipsi possint opportunam opem implorare. Quamobrem omnium ecclesiarum gerentes sollicitudinem nunquam majori gaudio abundamus, quam cum beatis viris, qui coronam justitiæ jam sint asserquuti manum Nobis sit altarium honores decernere; divinam enim nisi clementiam certo confidimus, eosdem nos ipsos, qui terris degentes præclarissima exempla vindicandæ religionis, imitandæque virtutis posteris reliquerant, atque plurimum cæteris præstiterunt charitate, in potentias Domini ingressos, et Nobis Petri navium assidua tempestate jactatam

Proemium.

sollicite gubernantibus, et Ecclesie universae adfuturos.

§. 2. Alios inter egregiae virtutis cultores apparuit diebus istis Dei famulus Laurentius a Brundusio, qui inclyti ordinis minorum sancti Francisci, quos Cappuccinos vocant, disciplinam amplexus assidue orationi, praedicationi evangelii, proximorum saluti, vitae austeritati sic incumbit; ita charitate, spe, fide, omnique virtutum genere fulsit, ut non amplius ipse sibi, sed uni Christo, atque Christus in ipso continenter viveret.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis, et perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis apostolicae licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Laurentium a Brundusio sacerdotem professum ordinis fratrum minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad eius intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita, et patrata fuisse dicebatur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quodcumque Nobis videretur, praedictum Dei servum donec ad actum solemnem illius canonizationis deveniatur, publice beatum declarari cum solitis indultis.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis nonnullorum venerabilium fratrum antistitem, universitatum, ac totius memorati ordinis fratrum minorum sancti Francisci Cappuccinorum, ac nominatim dilecti filii Bernardini a Prato ejusdem ordinis sacerdotis professi hujus, aliarumque causarum servorum Dei dicti ordinis postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem concedimus, atque impertimur: ut idem Dei servus Laurentius a Brundusio beati nomine nuncupatus, ejusque corpus, et reliquias venerationi fidelium non tamen in processionibus circumferendas, exponi, imagines quoque radiis, et splendoribus exornari, officiumque, et missam de eo in singulis annis die septimo mensis julii de communi confessorum non pontificum.

mani recitari libere, ac licite possit, ac valeat. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine minorum sancti Francisci Cappuccinorum utriusque sexus in oppido Villae Franchae del Vierzo, ubi venerabilis ejus corpus requiescit; in civitate Ulyssipponensi, in qua ad suprema gaudia evolavit, ac denique in civitate Brundusii, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur confluentibus; praeterea hoc anno dumtaxat, videlicet post praesentes literas emanatas, et quoad Indias a die, quo eadem literae illuc pervenerint, incohando, in ecclesiis ordinis, et praefatarum civitatum solemnia beatificationis ejusdem servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinariis respective constituta, postquam tamen in basilica principis apostolorum de urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem primam junii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii praefatae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefati ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima tertia maii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

Laudes servi Dei Laurentii a Brundusio.

Decretum s. congregationis Rituum super virtutibus ipsius servi Dei.

Tenor beatificationis, et concessio officii, et missae de communi confessorum non pontificum.

Dat. Romæ
24. maii 1783.
anno nono.

CDXLVI.

Supprimitur monasterium, seu præpositura de Indersdorff canonicorum regularium in Bavaria existens, et applicantur ejus bona mensæ capitulari ecclesiæ collegiatæ s. Mariæ Monachii.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. **Q**uamvis inter varias, et multiplices sollicitudines, quas in hisce præsertim difficillimis temporibus pro communi Christianæ reipublicæ utilitate humilitati Nostræ divina providentia conceditæ, dies, noctesque suscipimus, apostolicæ auctoritatis Nostræ partes in utilitatem, et incrementum ordinum regularium, qui in Ecclesia Dei, ac illius ornamentum, et præsidium tam scite, ac prudenter a prædecessoribus Nostris fuerunt instituti, paternam curam interponere, ac conferre semper exoptaverimus, attamen si aliquando ex incostanti mundanarum rerum, ac temporum conditione, unde etiam meliora interdum in pejus delabuntur, aliquod monasterium, aut conventus, vel a pristino regularis disciplinæ candore miserrime deflexerit, vel adeo ære alieno sit oppressum ut modis omnibus ad suam puritatem restitui, et nomina debitorum expediri non possit, ac matura prius, et debita considerationis trutinâ pensatis rerum circumstantiis salubriter in Domino fore illorum bona, ac redditus alteri pio operi perpetuo addicere conspeximus, loculentissimis prædecessorum Nostrorum exemplis inhærentes ea suppressimus, ac extinguimus, bonaque sua in alios usus convertimus, prout in Domino expedire arbitramur.

Expositio præcum porrectarum a duce Bavarie, super necessitate suppressionis monasterii.

§. 2. Sane pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Karoli Theodori comitis palatini S. R. J. principis electoris, et Bavarie ducis expositum fuit, quod monasterium, seu præpositura canonicorum regularium d'Indersdorff in ducatu suo Bavarie existens adeo est ære alieno gravatum, ut anni numerorum fœnoris, aliorumque onerum, quibus addictum est, satisfactio major sit censu; quocirca licet solers rei domesticæ administratio moderni præpositi imminenti ejusdem præposituræ, seu monasterii prædicti jacturæ occurrere pro viribus studerit, cum tamen

suar sollicitudines omnes in irritum cesserint, supplices preces eidem Karolo Theodoro duci obtulit, in quibus expositis hisce dicti monasterii, seu præposituræ lugendis circumstantiis, in primis separatim obtulit abdicare dictam præposituram pro creditorum indemnitate, dein, ut monasterium, ac bona illius in alium pium usum convertantur, consulit.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Karolus Theodorus dux, quo divinus cultus augeatur, et congruæ ministrorum Ecclesiæ Dei sustentationi prospiciatur, cappellam residentie suæ electoralis Monacensis ecclesiæ collegiatæ sanctæ Mariæ pariter Monacensi unire, et incorporare intendat, ita ut deinceps unum dumtaxat exinde constituatur corpus, capitulum, et canonici pro tempore existentes, sicut cappellani eidem cappellæ inservientes, secum propterea reputans annuos tum præbendarum canonicalium, tum beneficiorum dictæ suæ cappellæ redditus satis tenues esse, eosque augeri, et creditorum dicti monasterii, seu præposituræ d'Indersdorff indemnitati occurrere posse, quatenus prævia illius suppressione, bona, fructus, redditus, jura, et actiones ad illud quomodolibet spectantia mensæ capitulari collegiatæ ecclesiæ prædictæ unirentur, et incorporarentur, prout uniri, et incorporari summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur piis ejusdem Karoli Theodori votis, quantum cum Domino possumus, annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine memoratum monasterium, seu præposituram canonicorum regularium d'Indersdorff in Bavaria existens harum serie perpetuo suppressimus, et extinguimus, ac perpetuo suppressum, et extinctum esse decernimus, et declaramus. Monasterium vero una cum adnexa ecclesia, una cum omnibus bo-

Exponuntur providentiæ captæ ab eodem duce Bavarie.

Tenor concensionis.

nis mobilibus, et immobilibus, prædiis, curiis, villis, et singulis juribus, titulis, attinentiis, et pertinentiis quomodolibet ad illud ex antiqua, vel recentiori dotatione, et accessu spectantibus, aut competentibus mensæ capitulari collegiatae ecclesiæ sanctæ Mariæ Monacensis unimus, adnectimus, et incorporamus; ita tamen, ut capitulum, seu mensæ capitularis administratores pro tempore existentes, missarum, aliorumque onera, quibus bona, ac loca gravata existunt satisfacere, nec non eam annuam pensionem, quæ ab harum præsentium executoribus congrua videbitur, omnibus canonicis regularibus tam professis, tum laicis, ac cuilibet eorum pro sua sustentatione pendere, ac tandem æs alienum, quod dictum monasterium premitur, paulatim dissolvere teneantur; quocirca venerabili fratri Ferdinando Christophoro episcopo Chiemensi, et moderno prælato de Scheiren, de quorum prudentia, fide, religione, ac in negotiis gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per præsentem committimus, et mandamus, ut prædictum monasterium, seu præposituram suppressam, ac extinctam esse declarent, illudque una cum adnexa ecclesia, suisque bonis, redditibus, proventibus, juribus, et actionibus quibuscumque mensæ capitulari ecclesiæ collegiatae sanctæ Mariæ Monachii, sub tamen supra expressis conditionibus, et legibus perpetuo unita, et applicata esse decernant; insuper eam quantitatem pensionis canonicis tum professis, tum laicis dicti monasterii sic suppressi quotannis a mensa capitulari prædicta pensitandam, quæ congrua in Domino videbitur, statuunt. Nos enim illis, ac cuilibet illorum quancumque necessariam, et opportunam ad præmissa omnia, et circa ea, quæ ad dicti monasterii, seu præposituræ suppressionem, ac honorum respective unionem, et applicationem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, unam, seu plures personas cum iisdem facultatibus subdelegandi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quæ pro præsentium executione componere, et constituere, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexerint, plenam, et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

§. 5. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque ple-

Bull. Rom. Tom. VII.

narios, et integròs effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quacumque spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, quoruncumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii, seu præposituræ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, inductis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta maii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

Clausula salutaris, et irritantes.

Dat. Romæ
die 2. junij
1785
anno LX.

CDXLVII.

Beatificatio ancillæ Dei Joannæ Mariæ
Bonomi monialia professæ ordinis sancti
Benedicti.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. **B**enedictus Deus misericordiarum pater, qui in omni afflictione nostra consolatur nos miseratione magna sua: rei enim christianæ publicæ universæ, quam divina clementia Nostræ commisit infirmitati, ferentes sollicitudinem quantum capimus mœroris, et luctus ex depravatis eorum moribus, qui nolunt intelligere, ut bene agant; tanto majori afficimur gaudio, atque incredibili lætitia perfundimur, quam a Deo inspicimus nova iostaurari virtutum exempla, quæ plures habere facile possint non admiratores solum, sed etiam imitatores. Vivit Deus in æternum: ecce nunc tertium satis brevi diæram intervallo integrum Nobis fit, altarium honores iis decernere hominibus, qui omnium virtutum genere præstantes, fide servata, absolutoque divinorum mandatorum cursu, et ipsi coronam justitiæ sunt consecuti, et alios exemplo edocent suo, quam turpiter sibi mentiatur iniquitas, dum excusationem peccati requirens laborem in præceptis fingere non veretur.

Laudes ancillæ
Dei Joannæ
Mariæ Bonomi.

§. 2. Quid enim magis est arduum, quid homini difficilius, quod Dei ancilla Joanna Maria Bonomi monialis professa ordinis sancti Benedicti muliebri quidem natura ipsa debilis, sed animi virtute firmissima, non esse sibi pro Deo præstandum duxerit? In primo suæ ætatis flore, quæ aliis sunt lucra, hæc eadem sibi detrimenta esse Dei formula intelligens, voluptatum illecebras, et perniciosam rerum fluxarum blandimenta non modo est plurimum aspernata, sed ab his etiam prorsus abhorruit: quam ob rem monialium ordinis sancti Benedicti iustitutum professa uni Deo, cui tantum servire regnare est, sic fuit addicta, uti par erat illam esse, quæ ipsius Dei gratia rebus mundanis omnibus nuntium sponte remisit. Ex hoc tam incenso in Deum amore egregia nimirum illa oriebatur voluntas jejuniis, carnisque afflictionibus corpus in servitutem spiritus redigendi, ac frequentissime vacandi orationi; quo nempe fieri sibi facilius posse

sperabat, ut sponso suo mundi servatori Christo arctius in dies conjungeretur. Nec certe illam optima frustrata spes est; sic enim divinis freta auxiliis omnem vitæ suæ rationem instituit, ut morti proxima paratum cor suum ad fruendum in cælis Deo assuerit.

§. 3. Quum itaque mature diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum processibus de apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eadem Dei ancilla Joanna Maria Bonomi multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quodcumque Nobis videretur, prædictam Dei ancillam beatam declarari, cum solitis indultis.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis dilectorum Nobis filiorum nobilium virorum ducis, et reipublicæ Venetorum, necnon quamplurium ex venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis capitalis, et canonicis metropolitanarum, et cathedralium ecclesiarum, tum etiam generalium præsidum ordinum regularium, aliorumque ecclesiasticorum, et secularium cœtuum, potissimum vero ordinis universi sancti Benedicti supplicationibus Sedi apostolicæ, et Nobis humiliter porrectis inclinati, de memoratæ congregationis cardinalium consilio, et assensu auctoritate apostolica tenore præsentium ad majorem Dei gloriam, et Ecclesiæ quidem universæ, præsertim monastici ordinis decus, et ornamentum indulgemus, ut eadem Dei serva Joanna Maria Bonomi in posterum beatæ nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquæ venerationi fidelium, non tamen in processionibus circumferendæ, exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, et de ea quotannis die ab ordinariis, ordinumque regularium præsulibus, ad quos spectat, designanda recitetur officium, et missa de communi virginum non martyrum cum orationibus a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

§. 5. Porro recitationem officii, et missæ celebratæ nem hujusmodi fieri con-

Decretum editum a S. congregatione Rituum.

Declaratio beatificationis ipsius ancillæ Dei.

Concessio officii, et missæ

propria ipsius
beatae.

cedimus dumtaxat in universo ordine sancti Benedicti utriusque sexus, in civitate Bassani, omnique diœcesi Vicentina, in qua Dei famula diu vixit, obiit, et venerabile ejus corpus requiescit, atque in oppido Asiagi, ac Patavina diœcesi, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur; et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea hoc anno dumtaxat, videlicet post præsentem literas emanatas, et quoad Indias a die, qua eadem literæ illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis ordinis, et præfatarum civitatum solemnia beatificationis ejusdem servæ Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori ab ordinariis respective constituta, postquam tamen in basilica principis apostolorum de urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem nonam junii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio con-
trariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu secretarii præfatæ congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo præfecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda junii MDCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

CDXLVIII.

Congregationi presbyterorum sæcularium oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Maceratensis conceduntur, seu communicantur privilegia alias concessa congregationi Bononiensi ejusdem oratorii sancti Philippi Nerii.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **M**ilitantis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus per ineffabilem Dominicæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes, presbyterorum sæcularium congregationes in Ecclesia Dei pie, sancleque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue proferre satagentes privilegiis, et gratis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

Proemium.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri sæculares congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Maceratæ, quod dudum eadem congregatio a felicis recordationis Innocentio pp. XI. prædecessore Nostro confirmata, et nonnullis gratis, privilegiis, et indultis decorata fuit, ipsiusque congregationis oratorii ejusdem sancti Philippi Nerii Bononiensis in ecclesia beatæ Mariæ Virginis de Galliesia nuncupat. erectæ servant, hæcenus vixerunt, et adhuc vivunt de præsentibus. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, regulæ, et instituta dictæ congregationis Bononiensis a rec. mem: Gregorio XIII. et Gregorio XV. Romanis pontificibus prædecessoribus pariter Nostris specialiter approbata, ipsique congregationi Bononiensi, ac illius ecclesiæ presbyteris, et personis ab iisdem, et forsan aliis Romanis pontificibus etiam prædecessoribus Nostris, et præcipue a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessore itidem Nostro multa privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, regulæ, et indulta concessa fuerint, prout ipsorum prædecessorum literis apostolicis desuper respective uberius, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, dicitur contineri. Ipsi vero exponentes regulas, et instituta hujusmodi receperint, seu recipere, et illa pro

Expositio præ-
cum correctura
a presbyteris
congregationis.

viribus observare parati sint, ac proinde eisdem quoque privilegiis, et gratiis frui, et gaudere posse plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignamur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, et prædictarum literarum apostolicarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati prædictæ congregationi oratorii sancti Philippi Neri Maceratensis; illiusque ecclesiæ, et presbyteris sæcularibus, et personis nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, excepto tamen indulto altaris privilegiati, aliisque favoribus, gratiis, et indulgentiis, ac exemptionibus, regulis, et indultis memoratæ congregationi Bononiensi, ejusque ecclesiæ presbyteris, et personis per prædictos Romanos pontifices prædecessores Nostros quomodolibet concessis, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, et quibus eadem congregatio Bononiensis, ejusque ecclesia, presbyteri, et personæ ex memoratorum pontificum prædecessorum Nostrorum concessione de præsentibus utantur, fruatur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, pari modo, uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, regulæ, et indulta hujusmodi ipsi congregationi Maceratensi, ejusque ecclesiæ presbyteris, et personis specialiter concessa reperirentur, sine præjudicio tamen gratiarum, indultorum, et privilegiorum eidem congregationi Maceratensi a supradicto Innocentio prædecessore, sicut præmittitur, concessorum, et dummodo ipsius congregationis Maceratensis presbyteri, et personæ nunc, et pro tempore existentes regulas, et instituta pro dicta congregatione Bononiensi, ut præmittitur, approbata observent, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

§. 4. Decernentes has præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque ordinationibus, et constitutionibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ congregationis Maceratensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritatisque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

Dat. die
18. julii 1785.
Anno IX.

CDIL.

Confirmantur constitutiones canonicorum regularium ordinis sancti Augustini congregationis Colimbricensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. **P**astoris æterni vices licet immeriti gerentes in terris, ea, quæ pro felici religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ monasticæ instituto mancipatorum regimine, et in via mandatorum Domini directione provide, salubriterque constituta esse noscuntur, ut firma semper, ac illibata persistant, apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, præsidio libenter constabilimus.

Expositio præcum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores, et canonici congregationis canonicorum regularium sanctæ Crucis Colimbricensis ordinis sancti Augustini, quod cum venerabilis frater Joseph Antonius episcopus Visensis per Nostras in simili forma Brevis die vi. septembris anni MDCCLXXXI. in apostolicum visitatorem, et reformatorem ejusdem congregationis deputatus, exacta eadem visitatione, efformaverit novas leges, ac constitutiones tenoris, qui sequitur.

PARS PRIMA

De iis, quæ ad institutum, receptionem, professionem, mores, vitam, disciplinam, et observantias religiosas pertinent.

CAPUT I.

De instituto, et congregatione canonicorum regularium

De instituto, et congregatione canonicorum regularium.

§. 3. 1. Cum regulares canonici ad formam apostolorum fuerint instituti, a magno patre Augustino stabiliti, ab aliisque sanctis per diversa terrarum loca propagati, ut sæculo renuntiantes, et sine proprio in communi viventes, Deo tantum se voverent, orationi vacarent, psalmodiam in choro canerent, aut recitarent, sacris altaribus inservirent, episcopos adjuvarent, proximorumque saluti prædicando, docendo, sacramenta ministrando incumbere;

cumque iidem canonici per Lusitaniam primo cathedralium capitulis, deinde singularibus monasteriis absque ullo congregationis vinculo habitantes in unum corpus fuerint coadunati, congregationemque sub titulo sanctæ Crucis Colimbricensis, Joanne III. Lusitanorum rege curante, et apostolica Sede approbante, efformaverint, ut præfatum institutum melius custodirent. Volumus, atque præcipimus, ut in eadem congregatione idem institutum semper observetur, et ab omnibus firmiter custodiatur.

§. 4. 2. Hæc autem congregatio constat, constareque debet præposito generali, prioribus, seu prælatis monasteriorum, quæ per universa Lusitanie dominia sunt, vel pro tempore fuerint in spiritualibus unita, consiliariis, magistris, officialibus, cæterisque canonicis, qui præfatum institutum jam solemniter sunt professi, vel ad professionem parantur. Plures tamen ad hanc non recipientur congregationem, quam redditus pro congrua illorum sustentatione patiantur: hac de causa capitulum generale singulis trienniis numerum assignabit eorum, qui singulis congregationis domibus recipi debent; et ultra consignatum numerum, nulli recipientur, nisi unus pro quolibet e vita functo.

De subjectis ex quibus congregatio constat.

CAPUT II.

De receptione, et professione canonicorum.

§. 5. 1. Quicumque sæculo renuntiare, et in hac congregatione voluerit cooptari, prius debent personaliter comparere in monasterio, ubi recipi ad canonicum habitum postulaverint, si hoc fieri possit absque magno incommodo supplicantium, ut videri, ac tractari possint ab illis, qui eos recepturi sunt. Deinde stricte examinabuntur de peritia linguæ latinæ a duobus examinadoribus per priorem, et consiliarios ad id nominatis. Postea de mandato ejusdem prioris, et consiliariorum fiet inquisitiones secundum juris formam de illorum vita, genere, et moribus.

De receptione et professione canonicorum.

§. 6. 2. Has proinde inquisitiones a priore, et consiliariis jam approbatas, et subscriptas, idem prior transmittet patri generali, cui per literas quoque manifestabit qualitates, et vocationem hujusmodi recipiendorum. Patet vero generalis simul cum collegis

De inquisitionibus faciendis.

suis easdem inquisitiones leget, consignabit, et approbabit, nisi aliquod ex infra dicendis impedimentis ibi reperitur, ipsasque vel approbatas, vel reprobatas intra spatium triginta dierum memorato remittet priori. Nullus vero in novitium recipi poterit absque approbatione patris generalis, ipsoque inconsulto.

§. 7. 3. Quibus peractis, statim eosdem postulantes proponet prior in capitulo conventui, modo capitulares non sint extra monasterium tempore, quod *Brevia* nuncupatur, ut ab ipsis capitularibus simul cum priore admittantur, vel reiciantur ad probationis annum per secreta suffragia, quorum scrutatores erunt prior cum immediato consiliario, et scriba conventus; cum tamen paria sint hinc inde suffragia, selectie erit penes priorem.

§. 8. 4. Conventus autem neminem recipiat, nec prior generalis admitti consentiat, qui sequentibus innodatus fuerit impedimentis; nempe si matrimonii vinculo, aut servitutis fuerit ligatus: si parentes ejus, aut avi ob hæresim, aut apostasiam a religione catholica, vel ob crimen læsæ majestatis fuerint puniti, vel judicati: si alterius religionis habitum suscepit, et in ea professus est: si ære alieno præsertim regio, aut aliqua civili obligatione sit obstrictus: si habituali, vel contagioso morbo laboret, ignominia, aut infamia sit notatus, aut magnam corporis habuerit læsionem, vel supra modum deformis existat: si legitimam ætatem quindecim annorum nondum habeat, vel quadragesimum excedat, nisi aliis eximiiis virtutibus, ac donis religioni valde utilibus hic defectus compensetur: si pertinaci, elato, aut superbo animo sit, vel parum mentis compos, aut fatuus, et inconstans esse videatur.

§. 9. 5. Si recipi voluerit aliquo humano respectu, non divini amoris, et animæ salutis studio ductus ad religionem se conferat, si ex aliquo monasteriorum hujus congregationis jam fuerit rejectus, vel non admissus ad habitum ob impedimentum, quod decursu temporis tolli, vel emendari nequeat: si linguam latinam sufficientissime non intelligant: si ex legitimo non fuerint geniti matrimonio; aut ex parentibus nobilibus oriundi, exceptis aliquibus tantum, qui ad organa pulsanda fuerint necessarii, vel qui cantores extiterint valde insignes, vel utiles, ut plane canant in choro; vel qui

magnam literarum scientiam, sive ad literas extraordinarium habuerint ingenium, et acumen; hi enim admitti poterunt, quamvis nobiles non sint, si non fuerint ex infima plebe. Quapropter de his omnibus supradictæ inquisitiones fieri debent.

§. 10. 6. Postquam postulantes sic admissi fuerint, dum habitus, et vestes parantur, magister novitiorum, aut alius canonicus de prioris mandato eos diligenter per dies aliquot circa religionem instruet, institutum, ac disciplinam congregationis docebit, quid in monasterio præstandum, aut exercendum sit, et præsertim quid tollerandum, nihil asperiorum reticens, ipsis exponet: quo illorum animus, si satis habeat roboris in sententia firmetur, vel si fluctuat, ab incepto viribus majoribus, prudenter desistat.

§. 11. 7. Quod si perstiterint in sententia, dixerintque se paratos esse ad omnia religionis onera sustinenda, et habitum instanter petierint, statim ad annum tyrocinii recipiantur a priore, qui eos tunica, cingulo, habitu, sive superpelliceo, et almurtia, quæ ut a professis distinguantur, erit absque cucullo, induet in choro, cæterasque ibi peraget cæremonias, quæ in congregationis ordinario continentur. Qui libet vero in novitium novus ingressus, postquam intra mensem exercitiis spiritalibus se munierit, generaliter peccata sua confitebitur alicui ex confessoribus communitatis a religione, et ab ordinario approbato.

§. 12. 8. Sic autem recepti tradentur magistro novitiorum, qui protinus coronam illis radere faciet ad eum modum, quo ipsam deferre solent clerici in minoribus ordinibus constituti, eosque jam positos in tyrocinio de instituto, legibus, moribus, regula, ac disciplina religionis instrui diligenter curabit, sicut infra dicetur.

§. 13. 9. Ipsi deinde novitii singulis quatuor mensibus anni probationis proponentur capitulo conventuali, ut omnes canonici capitulares simul cum priore, audita prius de uniuscujusque novitiorum dotibus, progressu, moribus, et similibus informatione, quam in capitulo dare tenetur magister novitiorum, et alii quoque dare poterunt, usitata calculorum ratione circa unumquemque propositum, secreta suffragia ferant; et qui hoc modo a majori parte fuerit approbatus ad proseguendum tyrocinium, vel eo finito, ad proficendum admittetur; qui fuerit repro-

De anno probationis indicendo.

De non recipiendis in conventu.

De humanis respectibus non consulendis.

De instructione faciendis admissis, ante quam habitum recipiant.

De tyrocinio concedendo.

De corona eis redenda.

De propositionibus faciendis, super ipsis in capitulo conventuali.

batus, habitu exuto, dimittetur in pace: æqualibus autem suffragiis existentibus electio erit prioris.

De cautela
adhibenda in
alieuus excla-
sione.

§. 14. 10. Si quis tamen dimittendus fuerit, id magna cautione adhibita prudenter fiat, ut neque dimissi animæ, aut famæ, neque congregationis existimationi detrimento sit. Causæ autem, ob quas dimitti debent, hæc sunt potissimum: Si quis ingenio, aut natura sit ad aliquod votorum servandum perdifficilis: si moribus iis sit, quibus congregationis concordia, et tranquillitas turbari, aut infirmiores ad peccandum impelli facile possint: si denique hujus congregationis instituto non congruere videatur.

De professio-
no emittenda.

§. 15. 11. Elapso jam probationis termino, anno videlicet, ac die, conditoque testamento, seu bonorum renuntiatione, juxta formam a concilio Tridentino præscriptam, si renuntiare libuerit, qui modo supradicto fuerint approbati, solemnem statim professionem emittent in hunc modum. Cum dies professionis a priore fuerit assignata cantato a choro hymno *Veni Creator Spiritus* tempore offertorii missæ conventualis profitentes amicti pallio talari, quo solent uti canonici cathedralium per adventum, et quadragesimam ingrediantur ecclesiam, et genuflexi ante altare majus, factis precibus consuetis, sicut in ordinario describuntur, publice coram cæteris canonicis votum suum, quod charta professionis dicitur, legent alta voce, ut ab omnibus possint intelligi.

De formula
exhibenda su-
per votis emit-
tendis.

§. 16. 12. Ejus autem voti, seu chartæ, in qua semper tria vota exprimi debent, hæc erit formula = Ego frater N. offerens trado me ipsum Deo, et congregationi sanctæ crucis, et promitto obedientiam reverendissimo patri domino N. ejusdem congregationis generali, et successoribus suis canonicè electis: castitatem item, ac paupertatem secundum canonicam regulam sancti Augustini episcopi patris nostri.

De peragendis
post emissam
professionem.

§. 17. 13. Finita professione, surgent e medio ipsi professi, adibuntque sacerdotem missam conventualem celebrantem; et in cornu epistolæ sedentem, ad cujus pedes genuflectentes juramentum de servanda clausura præstabunt in manu illius, ac tantum verba dicentes = Ego N. juro me perpetuam servaturum esse clausuram in hac sacra congregatione ad præscriptum constitutionum ejus = Notandum tamen est, juramentum hoc sub culpa gravi obligare, casibus solummodo exceptis,

qui per præsentibus constitutiones a clausuræ præcepto, et juramento declarantur immunes. His dictis, statim sacerdos missam celebrans brevem illis ad servanda vota, regulam, constitutiones, ac juramentum, exhortationem faciet, et cum pervenerit ad illa verba = Idcirco damus ei communem societatem = ablato pallio talari, eisdem imponet ephistridem, seu almutiam, quemadmodum cæteri deferunt canonici jam professi.

§. 18. 14. Exhortatione peracta, surgent omnes iidem professi pacem, et concordiam ab omnibus accipiant, humiliter singulos complectendo a celebrante usque ad ultimum canonicum professum. Postquam vero hæc omnia fuerint peracta, celebrans missam prosequetur, et noviter professi inter canonicos antiquiores manebunt in choro, ut post communionem celebrantis sacram de manu illius sumant Encharistiam.

De complexu
ab electis re-
cipiendo.

§. 19. 15. Si qui præterea baptismale nomen ad aliud mutare voluerint, id efficere poterunt, cum profitentur; nomini tamen proprio debent omnes cognomen addere, vel a mysteriis Christi, vel a festis beatæ Virginis, addita deinde cognationis suæ nomenclatura, si ea opus sit, ut cognomina, quæ infallibiliter a dictis mysteriis, et festivitibus desumentur, ab aliis similibus distinguantur.

De nominis
mutatione.

§. 20. 16. Catalogum tandem, quo scripta sint nomina, et cognomina omnium canonicorum professorum totius congregationis secundum antiquitatem uniuscujusque illorum, habebunt singula monasteria in chartophilaceo, ubi reponentur quoque, et servabuntur supradictæ professionum chartæ ab ipsis professis subscriptæ, ut omnibus semper constare possit locus, et tempus; quo sunt professi. Postquam vero sic fuerint professi, nequaquam poterunt in aliam transire religionem absque speciali Sedis apostolicæ concessionem.

De inscriptio-
ne nominis
electi in albo
professorum.

CAPUT III.

De observantia votorum

§. 21. 1. Canonici votorum vinculo jam ligati adamussim tenentur ea complere, alioquin melius foret non vovere, quam vovere, et non reddere, quod voverunt. Omnes itaque prælato reverentiam in dictis, et factis exhibeant superiori debitam: eidem tamquam patri semper obediant in his, quæ juxta leges præceperit, ab illo ad alium non

De observan-
tia votorum.

recurrant, superiorem ob aliquam gratiam obtinendam, quin declarent causam cur ipsis primo denegata fuerat, poenas a lege præscriptas, et ab eodem injunctas propter aliquam ipsarum legum transgressionem factam humiliter accipiant, et fideliter exequantur: et cum habitatores alicujus monasterii aliquandiu manserint in alio, istius prælato obtemperent in omnibus, exceptis iis tantum, quæ proprius prælatus sibi reservavit priusquam egrederentur.

De paupertate.

§. 22. 2. Omnes quoque paupertatem observabunt, nihil proprium se possidere scient: nullis contractibus, aut negotiationibus implicentur; pecuniæ depositum, etiam in elemosynas distribuendum, ab exteris non accipiant, nisi de speciali facultate prælati: pecuniam a se ipsis quocumque titulo adeptam, vel acquisitam cum domi fuerint, secum non retineant, nisi ad summum per tres, aut quatuor dies, sub poena proprietariis a canonibus inflictæ, sed apud communitalis depositarium reponent, ut singularim ab eo, quod, et quando opus fuerit superioris permissu insumendum recipiant: in vestibus, calceamentis, cellæ ornatu, et cuncta suppellectili nihil indecorum, vel pretiosum, vel superfluum admittant, sed ea tantum habeant utensilia, quæ nec impulsa nimis, nec nimis delicata sint; quæque decentiæ canonicorum, ac paupertati congruere videantur. Quod omne a communitate præparabitur, nec differentia ulla tam inter prælatos, quam subditos cujuscumque qualitatis, et conditionis sint, admittenda erit, vel tolleranda.

De castitate.

§. 23. 3. Omnes demum castitatem apprime custodiant: oculorum modestiam ubique teneant, ne consulto videant, quod appetere nunquam licet: ab eis, quæ in luxuriam ferre solent, sedulo abstineant: mulierum familiaritatem, et contubernium diligenter fugiant, ut vel ipsam speciem mali vitare queant; particularem amicitiam non habeant cum personis, quæ periculum, aut scandalum ferre possint, utque donum continentia obtinere valeant, id beatissimæ Virginis intercessionem humiliter a Deo flagitent. Et si quis graviter in castitatem opere deliquisse, aut mulieres intra monasterium, vel monasterii septa pravo animo intulisse fuerit convictus, severe puniatur, sicut infra dicetur.

CAPUT IV.

De choro, et officii divini recitatione

§. 24. 1. Inter præcipua munera canonicorum recitatio divini officii merito computatur, idcirco debent omnes monasteriorum ecclesiæ chorum habere sufficientem, a quocumque inquinamento mundum, ab omni strepitu immunem, aptis libris refertum, semperque paratum, ut in eo decenter possint canonici die, ac nocte psalmos, et hymnos recitando, aut canendo sacrificium laudis offerre Deo.

De choro, et officii divini recitatione.

§. 25. 2. Statuimus proinde, ut in omnibus, et singulis monasteriis hujus congregationis, pro universis Ecclesiæ catholicæ statibus, cunctisque fidelibus christianis officium divinum dicatur in choro integre, attente, ac devote juxta sacrorum canonum statuta, dispositionemque breviarii Romani per concilium Tridentinum, et felicis recordationis papam Pium V. approbati, atque jussu Clementis VIII. reformati. Neminique licebit canonicorum abesse a choro, dum ibi divina persolvuntur officia, quin imo prompte, et alacriter ad id muneris, dato signo, statim convenient, nisi alicujus officii ministerii, privilegii, vel infirmitatis causa deobligentur.

De loco quo officium recitari debeat.

§. 26. 3. Quod si aliqui ad chorum tardius venerint, ii, flexis genibus, ante altare paululum orabunt, deinde, si fuerint capitulares, inclinato capite superiori, vel ei, qui loco illius præest, factaque altera inclinatione capitis erga chorum, in sua loca discedent: si vero adhuc versentur in schola novitiorum, postquam oraverint ante altare, flexis iterum genibus ante superiorem, tandiu ita manebunt, quousque ab eo surgere, ac secedere jubeantur.

De iis, qui sero veniunt ad chorum.

§. 27. 4. Statuimus quoque ut in choro singulæ recitentur horæ canonicæ temporibus in capite de horarum distributione constitutis. Hujusmodi autem horæ in monasteriis, quæ plusquam viginti habuerint canonicos, diebus festis Circumcisionis, Epiphaniæ, sanctorum martyrum Marrochiensium, sancti p. Theotonii, sancti Joseph, Annuntiationis, Dominicæ Resurrectionis, Inventionis sanctæ Crucis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, corporis Christi, sancti Antonii, sancti Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, Assumptionis, patriarchæ sancti Augustini, natiuitatis beatissimæ Virginis, omnium

De distributione horarum canonicarum.

sanctorum, Conceptionis, Nativitatis Domini, ac titularis ecclesie decantabuntur ad primas vesperas, completorium, matutinum, laudes, tertiam, sextam, nonam, et secundas vesperas.

De matutino et laudibus.

§. 28. 5. Decantabitur etiam matutinum cum laudibus in triduo pasceves, et prima in solemnitatibus Paschæ, Natalis Domini, illiusque vigilia: reliquis vero diebus, quid, quando, et quibus monasteriis cantari debeat, capitulum generale singulis trienniis assignabit. Si tamen contigerit aliquando, ut præter dicta canere officium divinum, vel solemnitatem aliquam ob rationes supervenientes facere oporteat, id a priore, et consiliariis pro qualibet vice decernendum erit. Cum autem divinum officium, vel pars illius non canitur, semper alta voce recitando persolvi debet. Singulis quoque sabbathis statim post completorium litania sanctissimæ Virginis decantabitur.

De ordine sedendi in choro

§. 29. 6. Cæterum in choro sedebunt canonici capitulares juxta singulorum antiquitatem, vel dignitatem superioribus stans, caput vel birreto coopertum, vel discopertum tenentes, dummodo inter omnes uniformitas servetur, quando lectiones, aut psalmi recitantur, aut canuntur; sed si sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ibidem populo sit expositum, tunc nec sedebunt, neque cooperientur. Qui vero ad tyrocinium pertinerint, sedilibus inferioribus stabunt, vel sedebunt, prout eis fuerit injunctum, aut permissum a superiore juxta dierum, et horarum diversitatem. Extra chorum autem quicumque ipsi non adfuerint, officium divinum recitabunt integre, attente, ac devote, licet sacros ordines nondum habeant.

CAPUT V.

De missis, processionibus, et anniversariis

De missis, processionibus, et anniversariis.

§. 30. 1. Sacrosanctum altaris sacrificium presbyterales ordines curent quotidie celebrare: ideo præcipimus, ut in singulis hujus congregationis monasteriis duæ missæ quibusque diebus dicantur; altera conventualis de festo, vel feria occurrente pro ejusdem congregationis fratribus, parochianis, et benefactoribus, et altera de defunctis pro fratribus, et benefactoribus ab hac vita sublatis: illa semper decantabitur, neque aliqua votiva, vel defunctorum tunc temporis celebrabitur, sed ad aliam ho-

Bull. Rom. Tom. VII.

ram erit transferenda, illis dumtaxat exceptis diebus, in quibus secundum caeremoniale congregationis antiquissimam consuetudinem in ipsa servatam, mos est contrarium fieri; ista vero solum in feriis secundis non impeditis aliquo festo duplici, idque in fine primæ; reliquis namque diebus privatim sine cantu dicetur.

De quadragesima vigiliis, et festis.

§. 31. 2. Sed in quatuor temporibus in quadragesima, et vigiliis missam habentibus, si tunc festum duplex, vel semiduplex inciderit, tres dicendæ sunt missæ; prima scilicet de festo illius diei, secunda de defunctis, tertia de quatuor temporibus, feria, aut vigilia. Si tamen sabbatho quatuor temporum, alicujus sancti vigilia occurrerit, missa ipsius vigiliæ per commemorationem in missa quatuor temporum præteribit. Et cum præ festorum solemnitate, aut aliis rationibus contigerit, prædictas missas, ut est statutum, non posse celebrari; de hac re disponent priores, prout justum fuerit, dummodo rubricis missalis Romani novissime reformati non repugnetur.

De forma servanda in missis cantu celebratis.

§. 32. 3. Porro in omnibus missis, quæ cantu celebrantur, semper diaconus, subdiaconus, et acolyti ministrabunt. In præcipuis vero anni festivitibus, aut quocumque opus fuerit, missam, et officium divinum cum assistentibus, insignibus, et ornamentis pontificalibus more episcoporum euncti priores celebrabunt quemadmodum fieri solet in monasteriis sanctæ Crucis, et Mûra: juxta consuetudines, et privilegia canonicis regularibus hujus, et aliarum congregationum concessa.

De processionibus.

§. 33. 4. Statuimus præterea, ut per claustum, vel ecclesiam fiant consuetæ processiones in festo purificationis, in dominica Palmarum, in feria quinta, et sexta hebdomadæ sanctæ, in diebus rogationum, in festo Corporis Christi, et illius octava, et aliis diebus, quibus pro temporum congruentia visum fuerit priori, et conventui, aut ex ordinario constiterit.

De triplici anniversario in quovis monasterio celebrando.

§. 34. 5. Ordinamus etiam, ut in omnibus monasteriis triplex anniversarium generale pro animabus religiosorum fratrum, et benefactorum congregationis, ac pro omnibus fidelibus defunctis quotannis celebretur. Primum, ac præcipuum in crastino festivitatis omnium sanctorum, cujus matutinum cum laudibus decantabitur media nocte. Secundum prima die semiduplex non impedita post octavam Epiphaniæ. Ter-

tium prima die semiduplici post octavam Pentecostes. Et in his tribus anniversariis cuacti canonici sacerdotes pro animabus fratrum benefactorum, et omnium fidelium defunctorum sacram facient, iis exceptis, qui pro legatis, et aliis obligationibus monasteriorum in illis diebus perfixe occurrentibus celebrare teneantur.

De testamen-
tis fidelium
conservandis,
et exequendis

§. 35. 6. Cappellis demum, anniversariis, et missis, quæ in monasteriis hujus congregationis sunt a fidelibus quibusque stabilitæ, plene satisfiat prout in eorum testamentis, conventionibus, legatis, vel missarum reductionibus continetur. Ea propter in fine cujlibet anni prior, et consilarii diligenter examinabunt, an illis fuerit satisfactum, hujusmodique examen et missarum satisfactionem scribere facient in libro ad id consignoato, cui subscribent omnes, ut postea visitatoribus ostendatur, ejusdemque satisfactionem fidelem a sacrista, et scriba conventus factam, et juramento firmatam, priores ad capitulum deferant generale.

CAPUT VI.

De oratione mentali, lectione spirituali, silentio, et celebratione missarum.

De oratione
mentali.

§. 36. 1. Vigilare, et orare, ne intrent in tentationem præcipit cunctis Salvator mundi. Quamobrem statuimus, ut quotidie in omnibus congregationis monasteriis conventualiter fiat oratio mentalis in choro per semihoram mane, et per alteram semihoram vespere, ad quam tenebuntur omnes religiosi convenire tempore in distributione horarum assignato, nisi aliqua rationabili causa impediatur. Exercitia quoque spiritualia decem dierum singulis triennis consulant prælati suis subditis capitularibus licet uniuscujusque pietas ad illa peragenda quolibet anno suadere deberet, illos tamen ad ea conficienda lege, aut præcepto non adstringant, nisi forte in poenam alicujus criminis.

De lectione
spirituali.

§. 37. 2. Omnes itidem præter lectionem, quam in refectorio audiunt tempore mensæ, lectioni vacabunt spirituali diebus illis quibus mane hora decima in chorum tertiam recitatum iverint; quando vero quacumque de causa ante horam decimam ad chorum perrexerint, lectio spiritualis omittenda erit, sicut etiam quando in eadem die concio aliqua habenda sit. Hanc autem

lectionem singulatim habebunt per meditationem horæ legentes, ac meditates in Biblia sacra, vel in operibus sanctorum patrum, vel in libris, qui pietatem inspirant, et virtutem suadent.

De silentio
servando.

§. 38. 3. Silentium præterea servabunt canonici capitulares locale, et temporale. Silentium locale observandum erit in choro, dormitorio, sacristia tempore, quo missæ celebrantur, sacello, ubi eucharisticum fuerit sacrarium, refectorio, bibliotheca, latrinis, tonstrina tempore rasuræ, et ubicumque conventualiter congregantur. Temporale vero quandiu fit oratio conventualis, lectioque spiritualis, et tempore, quo celebratur capitulum generale in monasterio, ubi celebratur, et a vespere feriæ quartæ usque ad missam sabbathi hebdomadæ sanctæ, et ab hora prima cum dimidio usque ad tertiam post meridiem tempore æstivo, et ab initio noctis cujuslibet usque ad signum, quod cymbalo fit post recitatam primam sequenti die.

De licentia
prælati exquir-
renda super
collocutioni-
bus.

§. 39. 4. In his autem locis, ac temporibus loqui non poterunt, vel secum invicem, vel cum extraneis absque speciali facultate prælati. Sed si loquendi necessitas urgeat, intentionemque suam nutibus declarare nequeant, submissa voce utentur. Priores tamen ob frequentes ad eos subditorum recursus habent facultatem in dictis locis, ac temporibus loquendi, et cura aliis, ut loquantur, dispensandi: eandem facultatem loquendi habebunt officiales in officinis suis de rebus ad officia sua spectantibus. Qui autem ad tyrocinium pertinent semper silentium servabunt, sicut in capite de novitorum schola præscribitur.

De cellulis
noningredien-
dis.

§. 40. 5. Ut silentium vero melius observetur, et firmiter custodiatur, nulli religiosorum hujus congregationis, exceptis prælatis, poterunt in aliorum cubicula ingredi, nisi confessariorum, ut eisdem confiteantur peccata sua, vel infirmorum, ut eos visitent, eisque serviant, vel magistrorum ut super quæstionem aliquam eos consulant, vel hospitium, primis tribus diebus hospitalitatis suæ, vel quando prælatus jusserit, aut concesserit: dummodo nec in istis casibus ingressus in aliorum cubicula fiant cum manifesta legis silentii fraude, et qui secus fecerint, mediocri pœna mulcentur.

§. 41. 6. Sacerdotes denique magna cum devotione, ac reverentia quotidie missam celebrabunt, nisi sint legitime

De celebra-
tione missæ a sa-
cerdotibus.

impediti, in cujus celebratione mediam iusment horam paulo plus, minusve, et horæ quadrantem in gratiarum actione. Qui autem sacerdotes non fuerint, quotidie missam audient præter illam, cui conventualiter in choro adsunt.

CAPUT VII.

De jejunio, abstinentia, ac flagellatione conventuali.

De jejunio.

§. 42. 1. Jejunii, abstinentiis, et flagellationibus oportet carnem domare, ne in spiritum rebellis sit, aut supra ipsum extollatur. Omnes igitur dictæ congregationis religiosi præter dies, quos Ecclesia præcipit jejunandos, quibus tenebuntur etiam illi, qui vicesimum primum ætatis annum adhuc non attigerunt, jejunabunt toto adventus tempore, exceptis dominicis, et in duobus primis diebus post quinquagesimam, et in omnibus vigiliis festivitatum beatæ Mariæ Virginis, quæ quatuor cantoribus celebrantur, et in vigiliis sanctorum patrum Augustini, et Theotoni, et in quacumque totius anni feria sexta, exceptis iis, quæ a die Natalis usque ad octavam Epiphaniæ, et a die paschatis usque ad Ascensionem venerint.

De transferendo jejunio si feria sexta sit impedita.

§. 43. 2. Sed cum in feria sexta quodlibet solemnne festum inciderit, jejunium in sabbatum transfertur; et cum in eadem hebdomada alius dies jejunandus venerit, eo jejunium compensabitur feriæ sextæ. Ex jejniis tamen præfatis illa tantum, quæ fiunt in adventu, feriis sextis, et vigiliis sanctorum patrum Augustini, et Theotoni sub præcepto gravi adstringunt conscientiam.

De abstinentia ab operibus servilibus.

§. 44. 3. Jejunabunt etiam, et ab opere servili vacabunt illis diebus, quibus jejunare, aut vacare solet populus in diœcesi, ubi sita sunt monasteria. Et in feria sexta hebdomadæ sanctæ pane tantum, et aqua reficientur, nisi debiles sint, aut infirmi, aut aliqua necessitate, seu magno labore gravati: his enim prælatus providere debet.

De abstinentia ab esu carni.

§. 45. 4. Abstinebunt quoque ab esu carni feria quarta cujuscumque hebdomadæ nisi fuerit infra octavam nativitatis Domini, aut Paschæ, aut festa solemnna sactorum patrum Augustini, et Theotoni in aliqua earum occurrant. Eadem abstinentia servabitur in diebus rogationum, et in Nativitate Domini, si incidat in feriam sextam, quantumcumque his diebus non jejunetur. Qui vero cum debita licentia ex-

Bull. Rom. Tom. VII.

tra monasterium fuerint, non tenebuntur ad hanc abstinentiam a carnibus, neque ad prædicta jejunia, nisi cum etiam sub præcepto Ecclesiæ cadant.

De flagellatione carnis faciendâ.

§. 46. 5. Flagellatio præterea conventualis ad satisfaciendam pœnam pro peccatis debitam fiet in fine matutini feriæ quintæ, sextæ, et sabbathi hebdomadæ majoris, et in omnibus quartis, et sextis feriis adventus, et quadragesimæ, nisi aliqua solemnne occurrat festivitas; ea enim occurrente, flagellatio, vel anteponenda, vel postponenda erit, taliter quod dupliciter in qualibet hebdomada adventus, et quadragesimæ semper sumatur. Hæc autem flagellatio durabit spatio unius quadrantis plus minusve, dum alta voce recitatur psalmus *Miserere mei Deus* statim post orationem mentalem vespertinam, vel immediate ante matutinum. Præter has tamen flagellationes poterit quisque ad arbitrium suum, vel confessarii alias sumere, nisi a prælato prohibeatur.

CAPUT VIII.

De confessione, et confessariis.

§. 47. 1. Cum sacramentum pœnitentiæ medium sit, quo in Ecclesia militante peccatorum veniam consequi valeant homines: instituimus, ut omnes præfati congregationis religiosi semel saltem qualibet hebdomada confessario ad confessiones audiendas approbato confiteantur peccata sua: et in capitulo sabbathi ante culparum manifestationem unusquisque alta voce palam dicat, cui confessus est ad formam antiquarum constitutionum a fel: rec: Paulo pp. V. ut asseritur confirmatarum, sed cum extra monasterium fuerint, ubi plus quam unus ex canonicis confessariis non reperitur, confiteri poterunt cuilibet confessario regulari, vel sæculari, dummodo sit ab ordinario approbatus.

De confessione.

§. 48. 2. Porro in confessarios canonicorum capitularium nominamus, ac deputamus omnes canonicos ejusdem congregationis, qui ad audiendas sæcularium confessiones fuerint approbati, quamvis habitatores non sint illius domus, in qua forte morantur. In confessarios autem illorum, qui ad tyrocini pertinent scholam, prior, et consiliarii nominabunt sex, vel octo ex capitularibus approbatis, ut inter eos liber possit unusquisque seligere, quem maluerit. Et omnes confessarii tam capitularium, quam fratrum ad tyroci-

De confessariis.

nium spectantium poterunt a criminibus reservatis absolvere absque alia facultate a vigilia Natalis usque ad diem Circumcisionis, a dominica Palmarum usque ad dominicam Paschæ, a vigilia Pentecostes usque ad dominicam sanctissimæ Trinitatis, et a vigilia solemnitatis sancti patris Augustini usque ad illius octavam.

De cursu theologie absol-
vendo a con-
fessariis.

§. 49. 3. Ut autem dictæ congregationis canonici sæcularium confessiones audire queant, prius debent theologiæ cursum absolvere, vel saltem in aliquo monasteriorum per tres annos theologiam moralem discere: postea ab examinatore ordinis strictim examinari, et approbari; deinde a capitulo generali, vel definitorio, vel patre generali, et collegis facultatem in scriptis assequi: tandemque licentiam ab ordinario loci juxta formam concilii Tridentini obtinere. Si quis autem canonicorum non curaverit hæc peragere, vel ad sæcularium confessiones audendas se expedire, a superioribus compellatur, nisi aliqua rationabili causa excusetur.

De methodo a
confessariis
servanda.

§. 50. 4. Hac obtenta facultate, prompte adeant confessionale temporibus consuetis mōneri suo satisfactori, quoties ibi fuerint pœnitentes id postulantes, dummodo in choro adsint sufficientes canonici ad officia divina rite celebranda. Caveant tamen confessarii a gubernandis pœnitentium domibus, vel temporalibus eorum negotiis tractandis; hæc enim pluries animarum detrimento esse consuescunt. Et quamvis habeant facultatem audiendi confessiones personarum utriusque sexus, in ecclesia tamen monasterii mulierum confessiones non audient, quin a priore, et consiliariis ad id nominentur. Quod si ab aliquibus moribundis, vel graviter infirmis ejusdem loci, quo sita fuerint monasteria, vel valde prope illa quilibet confessarius fuerit vocatus, ut illorum confessiones extra monasterium audiat, statim prælatus vocatum mittet, eique socium designabit canonicum gravem, ambo tamen simul ibunt, et redibunt, quin divertant ad aliam domum.

De examine a
confessariis
subeundo.

§. 51. 5. Confessarii tandem, qui prælati, aut in sacra theologia magistri non fuerint, nec audiendi confessiones exercitium adhuc habuerint, spatio viginti annorum singulis trienniis examinabuntur de re morali a duobus examinatore, quos generale capitulum, vel definitorium, vel pater generalis cum collegis suis ad hunc effectum nominabit; et quisquis hoc

examen non subierit intra idem triennium, eo finito, manebit ipso facto suspensus a confessionibus audiendis, donec examinetur, et approbetur, nisi a visitatoribus fuerit ob aliquam magni ponderis rationem dispensatus, de quibus eorum conscientiam oneramus.

CAPUT IX.

De sacra communione

§. 52. 1. Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum fideles cuncti debent accipere, ut in Christo maneat, et Christus in illis: ac ideo religiosi dictæ congregationis, qui vel ex defectu ordinum, vel alio impedimento sacrum non faciunt, sacramentaliter communicabunt in omnibus dominicis, et diebus festis de præcepto, et in quacumque festivitate beatæ Mariæ Virginis, et in solemnitatibus s. p. Augustini, sancti Theotonii, sanctorum martyrum Marrochiensium, et in feria quinta cujuslibet hebdomadæ, cum in eadem hebdomada aliquis non fuerit dies festus ex memoratis.

De sacra com-
munionem.

§. 53. 2. Sed feria quinta in cœna Domini, prælato dumtaxat sacrum faciente, omnes alii etiam presbyteri ab ejus manu sacramentum recipient communionem. Meminerint tamen sacerdotes, ut quando communicant, sive sani, sive infirmi, semper deferant stolam super utroque humero extensam, cum hoc jure communi expresse caveatur.

De commu-
nionem reci-
pienda.

§. 54. 3. Idem quoque sacramentum Eucharistiæ, sæcularibus, qui hoc postulaverint, ministrabitur tempore, loco, et modo consuetis, juxta formam in rituali Romano assignatam. Curabitque sacrista, ut mappæ, vasa, et cætera, quæ ad id fuerint necessaria, semper sint parata.

De vasibus sa-
cris servandis.

CAPUT X.

De concionibus, et concionatoribus

§. 55. 1. Canonicos regulares, cum sint clericorum ecclesiæ primævæ successores, quam maxime decet verbi divini prædicatio: quare decernimus, ut in omnibus monasteriis, si commode fieri possit, fiant conciones ad populum super evangelium dierum dominicarum septuagesimæ, sexagesimæ, quinquagesimæ, quadragesimæ (excepta dominica Palmarum, vel alia, in qua processio vulgo *dos Passos* in loco fiat) paschatis, pentecostes, et adventus: fe-

De concioni-
bus, et con-
cionatoribus.

stivitatum Circumcisionis, s. p. Theotoni, sancti Josephi, Annuntiationis, Inventionis sanctæ Crucis, sancti Antonii, sancti Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, assumptionis beatæ Mariæ Virginis, sancti patris Augustini, nativitatis beatæ Mariæ Virginis, omnium sanctorum, Conceptionis immaculatæ Virginis, et titularium ecclesiæ.

De tempore in quo conciones fieri debent.

§. 56. 2. Fient quoque ad populum conciones in triduo ante diem Cinerum, quando Eucharistiæ sacramentum populo fuerit expositum; et in die Cinerum, et in dominicis quadragesimæ post vespere, ut moris est, et in feria sexta parasceves, mane, ac vespere; et in diebus festivitatum particularium cujlibet monasterii, quibus solet prædicari Canonici tamen sciant, quod si aliquando alias fieri conciones oporteat, eas prior, et consilarii pro qualibet vice determinabunt.

De requisitis necessariis ad concionandum.

§. 57. 3. Canonici vero, ut concionatores esse possint, primo solitum philosophiæ, ac theologiæ curriculum absolvent, vel saltem ab examinatore ordinis stricte de re theologica examinantur: postea facultatem prædicandi verbum Dei a capitulo generali, vel a definitorio, vel a patre generali, et collegis obtinebunt: deinde frequenter prædicabunt solummodo in monasteriis, et eorum ecclesiis per tres annos, quibus transactis capitulum generale, vel definitorium patentes literas ipsis concedet, nisi ad concionandum fuerit minus apti, ut extra monasteria, et eorum ecclesias, obtenta prius licentia ab ordinario loci, munus concionandi exercent in illis solummodo civitatibus, et oppidis, in quibus monasteria sunt sita, vel quibus sunt ita vicina, ut eadem die a monasterio exire, ad illudque redire possint; minime vero in majori distantia, ut jam stabilitum erat in constitutionibus antecedentibus a Paulo V. approbatis, propter juramentum, et vinculum clausuræ, de qua jam superius dictum est in capite II., et infra dicendum in cap. XVI.

De concionatoribus in tabula vulgo Paula.

§. 58. 4. Illi autem, qui monasterii conciones in tabula vulgo Paula consignatas prædicaverint, octo dierum spatio antequam prædicent ab ecclesiastico penso intra chororum persolvendo, et cæteris communitatis actibus, excepto capitulo sabbathi, et oratione mentali vespertina, immunes erunt; missamque illius diei, qua prædicaverint, pro intentione, quam maluerint, libere poterunt applicare. Illis vero, qui extra

monasterium concionantur, ad arbitrium superioris relinquitur facultas concedendi prædictam immunitatem dierum per id temporis, quod sibi justum videbitur.

§. 59. 5. Illos tandem, qui valde insignes fuerint in ministerio verbi, seu magno cum audientium plausu, ac religionis honore intra, vel extra monasterium, præsertim Collimbræ, Mafrae, Ulyssipponæ, et similibus locis frequenter prædicare consueverint, capitulum generale immunes faciet a recitandis in choro matutino, laudibus, prima, et completorio diebus non festivis, primæ, aut secundæ classis, neque destinatis solemnibus officio defunctorum. Et postquam sic perseveraverint concionando per quindecim annos, idem capitulum generale præfatam immunitatem perpetuo ipsis concedere poterit: si tamen postea conciones monasterii sibi a priore distributas, absque legitima causa reaverint prædicare, supradicta immunitate privabuntur a visitoribus ordinis, et chororum semper adire compellentur.

De exemptionibus concedendis eximius concionatoribus.

CAPUT XI.

De literarum studio.

§. 60. 1. Qui ratione instituti, verbum Dei prædicare, confessiones audire, et ecclesiasticas cæremonias exercere tenentur, debent semper literis vacare, ut muneri suo faciant satis. Quamobrem statuimus, ut omnes hujus congregationis canonici literarum studio diligenter incumbant temporibus in capite de horarum distributione assignatis; qui autem defuerint huic studio, nisi officio, infirmitate, aut alia valde rationabili causa impediatur, eadem pœna, qua stricti silentii transgressores, multentur.

De studio literarum.

§. 61. 2. Ordinamus item, ut in omnibus monasteriis, fiant collationes de re morali de quindecim in quindecim dies spatio unius horæ post vespere alicujus diei non impeditæ concionum, solemnitatum, recreationum, feriarum; et similium rationum causa. Ad hujusmodi collationes, signo facto, convenient omnes canonici capitulares, qui legitima ratione infirmitatis, officii, aut alterius similis actualiter non impediuntur, nec sunt lectores actuales, ut intra se conferant, ac discutiant quæstiones, quas præsidens proposuerat discutiendas. Eisdem collationibus præsidebit canonicus illè, qui a capi-

De concionibus in re morali habendis.

tulo generali, vel definitorio fuerit deputatus, vel etiam a patre generali.

De consultationibus moralibus institutis.

§. 62. 3. Item canonicus sic deputatus, sive moralis theologiæ magister sic institutus, respondere tenebitur consultationibus moralibus, quæ ipsius fuerint ab extraneis propositæ; tenebitur etiam diebus non solemnibus, aut feriatis spatio unius horæ post vesperas moralem theologiam, sive conscientiæ casus docere simul eos canonicos, qui theologiæ curriculum forte non sunt ingressi, vel non absoluerunt, et omnes sæculares, qui ad theologiam moralem audiendam ibi convenerint. Hi vero magistri, quandiu ita docuerint, iisdem gaudebunt immunitatibus, quas habent philosophiæ, vel theologiæ professores, dummodo in omnibus solemnitatibus, quæ quatuor cantoribus celebrantur, chorum adeant; et postquam quatuordecim annorum spatio legerint, conclusionesque vicibus quatuor saltem publice defenderint, eadem obtinebunt privilegia, quæ lectoribus emeritis conceduntur.

De studio rethoricæ instituendo.

§. 63. 4. Præcipimus quoque, ut in monasteriis, quæ scholam habuerint novitiorum, aliquis a capitulo generali, vel a definitorio, vel patre generali deputetur canonicus, qui rethoricam doceat novos professos, nisi Mafre publicum adeant gymnasium. Hanc enim artem discent omnes canonici unius anni spatio, antequam philosophiæ cursum ingrediantur, ab hora octava matutina usque ad nonam, et ab hora tertia vespertina usque ad quartam hyberno tempore, vel a quarta usque ad quintam vere, cunctis diebus non impeditis, aut feriatis.

De officiis quibus interesse omnes concionales tenentur.

§. 64. 5. Omnes tamen chorum adibunt dominicis diebus, festivitatibus quatuor assistentium, et officiis defunctorum: reliquis vero diebus a matutinis in choro recitandis liberi erunt: aliamque non habebunt immunitatem præter dies octo recreationis intra septa monasterii post Pascha. Magister vero, qui eos docuerit, easdem habebit immunitates, quas habent lectores supradicti moralem theologiam in monasteriis docentes. Sed si postquam rethoricam docuerint per sex annos, philosophiam, aut theologiam aliis sex annis docere peragant, noviesque conclusiones publice defenderint, eisdem privilegiis decorabuntur, quibus gaudent professores emeriti.

CAPUT XII.

De horarum distributione

§. 65. 1. Quo stabilis ordo in cunctis actionibus, semper appareat, singulas dierum horas distribuamus oportet in hunc modum. Singulis diebus temporis hyberni, seu a vicesima die septembris usque ad ultimam aprilis expergi fient hujus congregationis religiosi mane hora sexta, et intra horæ dimidium se decenter induent, Deo per manus beatissimæ Virginis offerent opera illius diei, seque laudabunt, et accingent, et in chorum pergent.

De distributione horarum

§. 66. 2. Hora sexta cum dimidia primam in choro recitabunt, qua finita, usque ad septimam cum quadrante mentaliter orabunt, nisi aliqua missa tunc temporis canenda sit, vel omnes horæ minores immediate sint dicendæ; vel dies sit solemnus, primæ, aut secundæ classis, vel eodem die cantandum sit officium defunctorum, vel dominica fuerit adventus, aut quadragesimæ, vel sabbathi capitulum habeatur; tunc enim mentalis oratio his optime compensatur. Oratione autem, vel missa, vel capitulo, vel similibus absolutis, in claustrum ibunt, responsorium pro animabus fratrum, propinquorum, et benefactorum recitaturi, ut moris est.

De recitatione horæ primæ.

§. 67. 3. Deinde usque ad horam nonam, cum dimidia sacerdotes missam devote celebrabunt, reliqui vero missam audiant, et quod supererit temporis literis, aut cæremoniis, aut cantui plano addiscendis, aut rebus dabunt similibus: semper tamen aliqui remanebunt sacerdotes, qui postea diebus præcipue dominicis, festisque de præcepto coram populis ad templum monasterii missæ audiendæ confluentibus missam celebrent. Ab hora nona cum dimidia usque ad decimam lectioni spirituali vacabunt modo, ac diebus in capite VI. præscriptis.

De celebratione missæ.

§. 68. 4. Hora decima chorum adibunt, ut transacto quadrante, tertiam, atque missam conventualem cum cantu dicant, sextam, et nonam recitent, aut etiam cum dies fuerint solemnes, canant, quæ quidem omnia protrahentur usque ad horam undecimam cum dimidia paulo plus minusve. Sed si dies fuerint solemnitatis, aut concionis, aut capituli conventualis negotiorum, aut vesperas ante prandium canendi, aut aliquid simile faciendi, tanto citius ante

De recitatione horæ tertiiæ.

horam decimam, inchoabitur tertia, et missa, quantum opus fuerit, ut cuncta exacte persolvantur.

De exami-
ne conscientie.

§. 69. 5. Horis canonicis jam persolutis, examini conscientie per dimidium horae quadrantem conventualiter in choro vacabunt, et postea signum dabitur ad prandium in refectorio, ubi servari debent, quae in capite de refectione dicuntur, et hora prima pomeridiana usque ad secundam silentium servabitur, ne dormientes perturbentur.

De vespere, et
completorio.

§. 70. 6. Hora secunda post meridiem, excitator, caeteros expergi faciat, ut illico ad chorum vespere, aut completorium, si ante prandium vespere fuerit jam dictae, cum cantu post primum quadrantem dicturi accedant. A fine vespere usque ad horam quintam erit tempus liberum, ut postquam morali conferentiae adfuerint, reliquum rusticationi, honestae confabulationi, ludibus vulgo *do Taco, do Xadres, das Tabulas, Bola, e Damas*, minime vero aliis quibuscumque ludibus, aut caeteris id genus decentibus rebus, prout voluerint, impendant. Hora quinta in choro recitabitur completorium, quo finito, statim oratio mentalis, cui nemo deerit absque urgentissima necessitate, conventualiter fiet per semihoram, nisi officium, aut nocturnum defunctorum sit recitandum, vel preces matutinae cum laudibus eadem nocte sint canendae, vel aliud quidpiam simile peragendum.

De tempore
vacandi stu-
dio literarum.

§. 71. 7. A primo quadrante post horam sextam, usque ad primum quadrantem post horam octavam literarum studio vacabunt, cui nemo deerit, nisi officii, vel infirmitatis, vel necessitatis causa. Hora octava cum dimidio matutinum cum laudibus in choro inchoabitur, quod semper cum debita pausa recitabunt, priusquam eant in refectorium. Si tamen matutinum fuerit canendum, tanto citius inchoabitur ante horam octavam cum dimidia, quantum opus fuerit, ut rite compleatur. Matutino, laudibusque factis, in refectorium ibunt cenatum, sicut in capite de refectione dicitur. Matutinum tamen Nativitatis Domini inchoabitur hora decima, vel quantum sat fuerit, ut, eo finito, missa ejusdem festivitatis media nocte incipiat; matutinum cum laudibus in triduo parasceves vespere decantabitur, ut fieri solet.

De tempore ad
dormiendum
praefinito.

§. 72. 8. Deinde quadrante secundo ante mediam noctem sonante, signum dabitur ad dormiendum. Unusquisque tamen antequam se somno dedat, iterum propriam privatim examinabit con-

scientiam de peccatis in eo die commissis.

§. 73. 9. Tempore autem verno, seu ab ultima die aprilis usque ad vigesimam septembris eadem, ac eodem modo agentur, sicut de hyberno tempore dictum fuit, aliqua tamen diversis fient horis.

Declarationes
speciales.

Mane siquidem a somno excitabuntur hora quinta. Transacta deinde media hora in choro primam recitabunt, orationemque mentalem conventualiter habebunt. His, aut missa, aut capitulo, aut aliis hujusmodi finitis, sacerdotes missam celebrabunt, et caeteri audient, et alia, quae opportuna fuerint peragent usque ad octavam.

§. 74. 10. Ab hora octava usque ad nonam cum dimidia literarum studio vacabunt. Ab eo tempore usque ad horam decimam incumbent lectioni spirituali. Hora decima, nisi propter causas supradictas antecedenter eundem sit, ad chorum pergent, tertiam, et missam conventualem cantaturi, sextam, et nonam dicturi usque ad horam undecimam paulo plus minusve. Quibus peractis examini conscientiae conventualiter in choro per dimidium horae quadrantem vacabunt: et postea signum dabitur ad prandium in refectorio, ubi peragentur ea, quae dicta sunt.

De novo tem-
pore literarum
studio tribuen-
do.

§. 75. 11. Finita refectione, et gratiarum actione, invicem poterunt conventualiter confabulari in aliquo loco ad id destinato usque ad horam primam post meridiem. Ab hac hora usque ad tertiam unusquisque in cellam suam se recipiet dormiturus, strictumque silentium observaturus. Hora tertia in chorum redibunt, ut vespere de more canant. Post vespere usque ad horam sextam erit tempus liberum in praedictis recreationibus licitis, et honesta confabulatione consumendum, nisi quod collationibus moralibus adesse debeant, cum illarum dies fuerint. Hora sexta in chorum pergent completorium recitaturi, mentalemque orationem per semihoram facturi.

De tempore
quo invicem
confabulari
possit.

§. 76. 12. Si dies tamen fuerit rusticationis, seu deambulationis, completorium statim post vespere dicetur, et oratio mentalis ante matutinum immediate fiet, nisi fuerit matutinum cantandum; tunc enim oratio mentalis omittenda erit. A primo quadrante post horam septimam usque ad primum quadrantem post horam octavam literarum studio se applicabunt. Hora octava cum dimidia chorum ingredientur ad matutinum cum laudibus recitandum,

Declarationes
speciales au-
per distribu-
tione horarum

nisi matutinum cantari debeat; tunc enim citius ad chorum ibunt. Matutino cum laudibus rite persolutis, ad refectorium signum dabitur pro nocturna refectio. De hiis cætera fient sicut hyberno tempore.

Alia limitatio-
nes ad eun-
dem suem.

§. 77. 13. Si autem contigerit aliquando, ut propter diversitatem climatis ubi sita sunt monasteria, vel propter aeris intemperiem, vel propter aliam similem rationem, ordo temporis hic assignatus, seu prædicta horarum distributio aliquantulum immutari debeat id pro qualibet vice a priore fiet, cum consiliariis; dummodo omnia, quæ stabilita manent, satisfiant.

CAPUT XIII.

De vestibus, et habitu.

De vestibus,
et habitu.

§. 78. 1. Clerici omnes, qui regulam profitentur, habitu, et vestibus uti debent, quæ uniformitatem servant, illorum statui, ministerio, et consuetudini congruant pariter, et necessitati. Vestes igitur canonicorum dictæ congregationis sunt sequentes: Superpelliceum ex lino patriæ: almutia, et birretum, quo utuntur soli capitulares, ex panno nigro tonso, qui vulgo dicitur *lemiste*: tunica ex panno albo: cingulum ex lino: infra tunicam vestis humerale, et subligaria linea; aut lana: indusium, et braccæ ex lino vulgari: tibialia acu ex lineis, aut laneis filis confecta: et calcei ex corio nigro.

De chlamide,
pallio, et galero.

§. 79. 2. Habeant præterea quasdam chlamides, vulgo *tranachas* laneas talaris a fronte apertas, et pallia nigra, quibus aliquando intra, vel extra domum cooperiantur, et galerum itidem nigrum, quo extra domum caput tegant. Ex memoratis tamen vestibus solum superpelliceum est: canonicorum habitus, quem semper deferre tenentur, et cum dormiunt capiti supponere, vel supra lectum conicere debent. Cum autem exierint a monasterio, ut intra civitates, et oppida quamlibet personam visitent, vel per domos particulares ut quodlibet negotium, et similia pertractent, pallia nigra subtiliora, sive capastalares ex panno nigro, delicatiori inter superpelliceum, et almutiam a collo pendentis deferre poterunt.

De superpelliceo,
et tunica.

§. 80. 3. Verum superpellicea ejus erunt longitudinis, ut, extensis deorsum brachiis, extremitatem digitorum manus attingant. Tunicarum pannus erit ex lana, aut ex lino, et lana juxta differentes stationes æstatis, et hyemis

permixtis, aut ex alia re simili, dummodo albus sit, et non nimis depuratus: ipsarum longitudo ab humeris ad talos usque perveniat: illarumque manicæ nec nimis latæ, nec nimis strictæ erunt: birretum erit juxta formam, qua uti solet clerus Romanus in hoc regno. Ephestrides, sive almutiæ numquam esse poterunt bombiciniæ, nec alterius coloris, quam nigri; duplicium non habebunt, nec erunt globulis clausæ, sed simplices, et a fronte apertæ, uti moris est. Novitiorum vero almutiæ ad distinctionem cuculum a tergis non habebunt, quem capitulares habent. In omnibus hisce tamen, ut uniformitas religiosa servetur pater generalis in tota congregatione, et visitatores in monasterio sanctæ Crucis obligationem habebunt in conscientia diligenter, seduloque inquirendi tempore visitationum an relaxatio introducatur, quam si invenerint, illico extirpabunt, et extirpare facient, delinquentes graviter puniendo. Si vero in hoc negligenter se gesserint, pœna pro gravioribus in sequenti capitulo generali mulcentur.

§. 81. 4. Chlamidum aliæ, quas intra superpelliceum, et tunicam ubique gestare possunt, erunt albæ sine pendentibus manicis, aliæ tamen, vulgo *Chumarras* erunt ex panno tonso nigri coloris eo modo factæ, quo illas deferre solent clerici regulares, et sæculares, dummodo ab anteriori parte non sint oclusæ: has autem super habitum portabunt cum deambulatum iverint, aut iter egerint, aut etiam demiserint in illis locis, et actionibus, quibus sine almutia esse possunt: quando enim conventualiter congregantur, aut pro re adsunt solemnibus non chlamidem nigram aut pallium, sed almutiam tantum portare debent. Calcei demum fibulis ferreis, et rudibus constringentur; et quando iter egerint ocreis vulgaribus uti valebunt; quorum observantiam item patris generalis, et visitorum curæ, ut dictum remanet, committimus.

De chlamidarum colore.

§. 82. 5. Indumenta vero, et calcamenta supra memorata singulis ita distribuentur, ut semper unusquisque secum habeat in usum suum superpellicea septem, almutias duas, birreta duo, tunicas quatuor, cingula tria, vestes quatuor, humeralia tria, subligaria quatuor, indusia septem, femoralia quinque, tibialia decem bina, calceos tres binarios, chlamides duas, albam unam, et nigram alteram, pallium unum, galerum unum, syn-

De distributione indumentorum, et calcamentorum.

dones sex, pulvinaria quatuor, lodi-
ces duas, linteum triplex, linteola,
quibus nares emungant, octo; si tamen
aliqui pluribus adhuc indumentis, vel
calceamentis indigeant; prælatus iis dare
præcipiet, prout cuique opus fuerit.
Nunquam vero indumentorum, aut
calceamentorum loco pecunia dabitur:
et priores, aut camerarii, qui contra-
rium fecerint, graviter puniantur.

CAPUT XIV.

De refectioe, ac dormitione.

De refectioe.

§. 83. 1. Sicut nimia corporis sol-
licitudo religiosis plerumque nocet, ita
quoque moderata valetudinis, ac virium
cura prodesse valet, adhiberique debet
ne sustinendis religionis oneribus inu-
tiles reddantur, cæterisque laborantibus
ipsi ab opere cessent. Omnes igitur in
commune refectorium ibunt pransuri,
vel cœnaturi temporibus in capite de
horarum distributione constitutis. Nul-
lus tamen prandium, vel cœnam, cum
domi fuerit, extra commune refecto-
rium sumet, nisi forte ratione infirmi-
tatis, hospitalitatis, aut facultatis sibi
a prælato concessæ ob magni momenti
causam.

De cymbalo
pulsando.

§. 84. 2. Priusquam vero refecto-
rium adeant, a refectorario duo signa
dabuntur cymbalo: ad primum omnes
prope refectorium congregabuntur ora-
tiones consuetas pro vivis, et defunctis
benefactoribus recitaturi: ad secundum
refectorium ingredientur, ibi suum
quisque occupabit locum, sedebuntque
facta mensæ benedictione solita. Dein-
de lector aliquis inchoabit scripturæ
sacræ, vel cujuslibet libri spiritualis
lectionem, qua semper debet mensa
condiri, ut dum corpus edendo reficitur,
sua quoque refectio animæ præ-
beatur. Post lectionem inchoatam præ-
sidentis signum faciet tintinnabulo, ut
omnes, explicato mantili, seu projectis
almurtiæ angulis supra humeros, edere
incipiat.

De temperan-
tia servanda
inter sumen-
dum cibum.

§. 85. 3. Inter sumendum cibum sem-
per temperantiam, modestiam, ac de-
centiam interius, et exterius per omnia
servabunt. Et qui jure, vel vino effuso
se ipsum fœdaverit, aut aliquid aliud
indecens commiserit, surget, et incli-
nato capite versus imaginem trina pec-
toris tusione culpam agnoscet, rur-
susque sedebit. Servitores tamen, si
quid peccaverint inter serviendum, fle-
xis genibus, veniam deprecabuntur: quod
itidem facient, qui tardius ad commu-
Bull. Rom. Tom. VII.

nem refectionem venerint, si adhuc
in schola versentur; nam capitulares,
capite præsidi inclinato, in sua adibunt
loca. Refectorarius autem, et servitores
summopere vigilabunt, ut nemini quid-
quam desit; quod si defuerit, non
ille petat, cui deest, sed aliquis ex
illis, qui juxta sedent, nutu, vel
submissa voce refectorarium, aut quem-
libet ex servitoribus admonebit.

De actione
gratiarum fa-
cienda, finita
refectione.

§. 86. 4. Finita refectioe, ac le-
ctione, gratias agent Deo, quas tamen
prandiis in refectorio inceptas in ec-
clesia, vel capitulo, vel sacello pro-
pinquiori finire debent, psalmum inter
eundem de more recitantes. Interim
vero refectorarius cymbalo signum fa-
ciet, ut qui ex justa causa de super-
ioris licentia primæ mensæ non in-
terfuerunt, conveniant ad secundam,
quæ quidem inchoanda est etiam cum
benedictione solita, et finienda cum
gratiarum actionibus in eodem refecto-
torio terminandis. Et in hac secunda
mensa lectio spiritualis quoque habeat-
ur, si commode fieri possit.

De dormitione

§. 87. 5. Confert etiam non parum
ad conservandam sanitatem somnus
moderatus: curabunt propterea super-
iores, ut subditis quantum temporis
satis sit ad dormiendum tribuatur,
omnesque, signo dato, in cellas se re-
cipiant dormituri tempore in capite de
horarum distributione assignato. Lecto-
rum tamen, quibus dormire consue-
verint, sindones, et pulvinaria erunt
ex lino facta, cætera vero lecti stra-
gula, sicut etiam peripetasmata erunt
lanca, vel linea juxta diversas statio-
nes æstatis, vel hyemis dummodo de
toto in communi provideantur, et in-
ter omnes servetur religiosa unifor-
mitas.

De vestibus
habendis in
dormitione.

§. 88. 6. Nemo autem nudus dor-
miat, sed cum indusio saltem, et
braccis propter munditiam, et hone-
statem, quæ sicut in vigilia, ita in
somno servari debet. Nullus etiam ita
sui instituti immemor existat, ut an-
tequam se somno dedat, aliquod spa-
tium iterum conscientiæ privatim exa-
minandæ, ejusque actis diei in me-
moria reducendis non impendat, ut eo-
rum, quæ deliquit, veniam ab omnium
Domino deprecetur. Toto denique dor-
mitionis tempore summa quies, ac
silentium in dormitorio servabitur. Nul-
lum opus fiet, quo fragor, aut stridor
excitetur, nulla instrumenta musica
pulsabuntur: nulli cantus audientur,
et qui per dormitorium transierint
placide incedant, ne aliorum quietem

spiritualem, aut corporalem aliquo strepitu obturbent.

CAPUT XV.

De distinctionibus, privilegiis, et recreationibus

De distinctionibus concedendis.

§. 89. 1. Cum ecclesiasticorum gradus oporteat esse distinctus, et unicuique juxta æquitatis regulas privilegia concedi, atque immunitates, quæ eis levamini sint; debent hujus congregationis canonici distingui, ac præcedere inter se, vel dignitatibus, vel antiquitatis, vel ordinum ratione. Hinc pater generalis omnes, qui vestibus pontificalibus non sint induti, et in omni congregatione, tempore sui generalatus præcedet: deinde superiores, sive prælati, in omnibus locis, et communitatis actibus in respectivis monasteriis, quibus præsent, cæteros præcedent, exceptis visitatoribus tempore visitationis dumtaxat, deinde vicarii, postea ex generales. Capitulares quoque præcedent eos, qui adhuc in schola versantur novitiorum, et inter se utriusque, primo secundum ordinem, videlicet presbyteri diaconos, diaconi subdiaconos, et subdiaconi in minoribus constitutos; secundo juxta suam in religione antiquitatem, quæ quidem antiquitas præcise computari debet ab ingressu novitiatus, taliter quod nec illi, qui qualitate pupillorum, in habitu induto, intra monasterium educantur, et ad novitiatum disponuntur, præcedent eos, qui ipsis pupillis remanentibus, illico novitiatum ingressi sunt, nec illi, qui quamvis in novitiatu noviores, in professione tamen ob aliquam rationem antiquiores sunt, præcedent eos, qui novitiatum, prius ingressi sunt. Illi vero, qui per apostasiam religionem reliquerint, si tempore apostasiæ habitum non deserant, cum redierint ad monasterium penitentes, antiquitatem, quam habebant, retinebunt; si autem habitum dimiserint; antiquitas eorum numerabitur a secunda receptione habitus post regressum.

De promovendis ad ordines sacros.

§. 90. 2. Sed quando aliqui extra monasterium ad aliquod negotium missi fuerint, præcedet ille, cui tale negotium demandatum fuerit, licet antiquior non sit. Prohibemus vero, ne ulli canonici promoveantur ad ordinem subdiaconatus antequam inchoent tertium religionis annum, neque ad ordinem diaconatus antequam inchoent quintum, neque ad ordinem presbyteratus ante-

quam septimum compleant, neque ad ullum ex præfatis ordinibus, quin prius ab examinatore approbentur, et a priore, et consiliariis mittantur.

§. 91. 3. Priores autem, ex-generales, lectores emeriti, omnes magistri cujuscumque scientiæ, vel artis, tum actuales, cum substituti, aut a religione, aut a rege nominati, dummodo legere non renuant, quando valent, nec ob culpam suam docere desinant. Vicarii, et magistri scholæ monasteriorum Colimbriensis, et Mafrensis, cantor major cujuslibet monasterii, quod viginti habuerit canonicos, procuratores generales Ulyssipponensis, et Portugallensis, ordinisque chronographus liberam habebunt potestatem, missas quascumque dixerint, applicandi pro intentione, quam maluerint, dummodo obligationes, et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant; aliter enim nullus ex supradictis poterit ad libitum applicare plusquam tres missas in qualibet hebdomada; nullo modo etenim, ut cujuscumque utilitati, et commodo consulatur, monasteria onerari debent. Præterea omnes quoque supradicti missas, quæ in his constitutionibus applicantur, celebrare tenentur.

De privilegiis superiorum ordinis.

§. 92. 4. Alii vero canonici libere tantum applicare poterunt, quas dixerint a die nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniæ, a dominica Paschatis usque ad dominicam Boni Pastoris, et in diebus, quibus conciones monasterii prædicaverint, et tempore, quo habuerint recreationem, seu ut vulgo dicitur de *Brevia*, et primis octo diebus ad aliquod monasterium, sive ut habitatores, sive ut hospites venerint, et duobus ultimis diebus cujuslibet septimanæ, cum antecederent dixerint quinque in eadem hebdomada pro intentione monasterii, cæteras namque sub præcepto sanctæ obedientiæ applicare tenebuntur pro obligatione cathedrali sacristiæ, quod vulgariter dicitur *Pauta*.

De applicatione missarum a canonicis faciendâ.

§. 93. 5. Prior tamen cum consiliariis poterunt hanc liberam missas omnes applicandi facultatem concedere iis, quibus necessariæ fuerint, ut earum elemosynis subveniant parentibus suis, aut fratribus egentibus.

De privilegio prioris, et consiliariorum super applicatione missæ.

§. 94. 6. Vicarii, ex-generales, seniores, qui vulgo dicuntur antiani, lectores emeriti, et actuales cujuslibet facultatis, et officiales, qui officii ratione fuerint impediti, ad exequenda officia hebdomadalia non adstringentur, nisi ad pulsanda organa, qui ad hunc finem

De aliis exemptionibus indulgendis.

ingressi sunt religionem. Priores, visitatores, ex-generales, magistri cujuslibet scientiæ, vel artis, vicarii, antiani, magistri novitorum sanctæ Crucis, et Mafre, procuratores generales, prædicatores emeriti, et alii, quibus a capitulo generali concessum fuerit, uti poterunt pileolo nigro, quod vulgariter appellatur *Solideo*.

De privilegiis
ex-generals.

§. 95. 7. Ex-generales præterea immunes erunt a recitandis in choro matutino, landibus, et prima diebus non festivis primæ, et secundæ classis, neque destinatis solemnî officio defunctorum. Antiani vero, qui quidem ita nuncupantur, postquam religionis quadraginta compleverint annos, immunes erunt tantum a prima in choro recitanda in diebus non festivis; matutino enim, et laudibus intererunt, dummodo ab infirmitate, debilitate, vel alia quacumque de causa justa, et rationabili non impediuntur, aut ex licentia prælati ad id non teneantur. Procuratoribus tamen generalibus, chartophilacibus, cameraariis, et similibus officialibus fas erit choro non adesse quodcumque opus fuerit, ut officii suis satisfaciant, dummodo id prælato referant: lectores vero, et prædicatores eas habebunt immunitates, quæ in capitibus de choro, de concionatoribus, et de lectoribus præscribuntur.

De deambulatione certis
diebus facienda.

§. 96. 8. Omnes proinde capitulares canonici singulis diebus dominicis, tertiis, et quintis feriis, diebus sanctorum de præcepto, ac beatissimæ Virginis Mariæ post vespervas, si non recitentur ante prandium, intra septa monasterii deambulare poterunt recreationis causa, et in his diebus, et aliis, quos prælatus concesserit ad rusticandam, si tempus fuerit verum, statim post vespervas completorium recitabitur, et oratio mentalis fiet ante matutinum immediate. Omnes item capitulares non solum quolibet mense impedito per integrum diem, ut fieri solet, recreari poterunt; sed etiam in aliqua monasteriorum villa, seu prædio per viginti dierum spatium accessus, et recessus tempore non computato, singulis annis majorem habebunt recreationem, si ve rusticationem, quæ dicitur *Brevia*.

De recreationibus extra
monasterium
capessendis.

§. 97. 9. Huic tamen recreationi extra monasterium capessendæ aliquis a priore, et consiliariis nominabitur præses, cui cæteri obediant, tamquam superiori. Et quamvis temperantiam, modestiamque religiosam ubique servare debeant, hujus tamen recreationis tem-

pore ad nulla exercitia spiritualia præter officium divinum, et missam, orationemque mentalem mane dimidiæ horæ spatio in communi tenebuntur, ut corporeis viribus refecti, ad obeunda munera officii, et instituti sui, alacriores, et robustiores in monasterium revertantur. Eos tamen monitos volumus, ne lectionem spiritualem, et examen conscientie oblivioni omnino tradant.

CAPUT XVI.

De clausura servanda

§. 98. 1. Quamvis regularium sit canonorum e clastro egredi quando instituti sui munera id postulant, nullus tamen debet extra claustrum vagari, vel mundialibus commisceri, ne sæcularium periculis expositus occasionum laqueis irretiatur. Ordinamus itaque, ut omnes hujus congregationis canonici regularem servent clausuram, et a monasterio non exeant, nisi tantum in casibus sequentibus.

De clausura
servanda.

§. 99. 2. Primus est, quum exire præceperit, aut exeundi licentiam dederit superior, nimirum summus pontifex, vel capitulum generale, vel definitorium, vel etiam pater generalis cum collegis suis. Secundus est cum ierint reformatum, aut visitatum quamlibet congregationis domum, aut ecclesias ad visitationem cujuslibet monasterii pertinentes. Tertius est cum a conventu, vel a priore, et consiliariis pro aliqua ejusdem, aut alterius monasterii necessitate, vel utilitate mittantur.

De licentia ad
exeundum necessaria.

§. 100. 3. Quartus est si mittantur, aut vocentur a rege, regina, principe, infantibus, legato, cardinalibus, episcopo diocesano, aut similibus. Quintus est si oporteat invisere episcopos, præsules, rectorem universitatis Collimbriensis, prælatos religionum, duces, marchiones, comites, vice comites, provinciarum gubernatores, et alias personas valde insignes, ac notabiles ad eum locum pervenientes, ubi sita sunt monasteria. Quod si propterea dubium aliquando irrepserit, an personæ pervenientes ad memoratum locum invisendæ sint, nec ne; priores cum consiliariis id resolvent. Hæc tamen urbanitatis obsequia non omnes indiscriminatim peragent, sed prælati, aut insigniores canonici, aut qui peculiarem ad id præstandum habuerint rationem.

Exceptiones
et declarationes
speciales ad
eundem finem.

Idem ut supra

§. 101. 4. Sextus quando a capitulo generali, vel definitorio, in alterius monasterii habitatores transferuntur. Septimus est quando ab alio conventu fuerint electi ad aliqua officia ibi gerenda, quæ si recusaverint acceptare, pater generalis eos ad id compellere poterit; quibus officiis peractis, poterunt redire in domum, ubi antequam eligerentur, habitabant, aut in ea manere etiam sine officio, si eis placuerit, nec aliter habebuntur pro habitatoribus, vel gaudebunt voce activa in electionibus, aliisque actibus capitularibus ejusdem domus. Octavus est, quando a patre generali, vel a visitoribus sanctæ Crucis tempore, quo visitant, transferuntur ad aliud monasterium in pœnam culparum, quas perpetrarunt, vel ad evitandum aliquod magnum scandalum; quæ quidem declaranda sunt priori illius domus, ad quam mittuntur, ut sciat quomodo tractari debeat. Sed quando a visitoribus transferuntur, patris generalis est cum suis collegis designare monasterium, in quod transferendus sit, qui a visitoribus transferri jabetur.

Idem ut supra

§. 102. 5. Nonus est quando a secularibus graviter infirmis acciuntur, ut illorum confessiones extra monasterium audiant, sicut in capite de confessariis præscribitur: decimus est quando convocatur ad concionandum, dummodo sit in proprio loco, ubi sita sunt monasteria, vel in aliis ipsi tam conjunctis, ut in eadem die ire ad concionandum, et redire ad monasterium possibile sit, minime vero in majoribus distantis, ut jam supra dictum fuit. Undecimus est quando celebrantur festivitates s. patriarcharum cujuslibet religionis, aut congregationis eo loco, ubi sita sunt monasteria, vel solemnitas Assumptionis beatissimæ Virginis in cathedrali Sede Collimbriensi, vel festum sancti Petri martyris ab inquisitoribus Conimbricensibus; tunc enim duo ex canonicis gravioribus mittendi sunt a priore, ut his solemnitatibus obsequenter adsint; sicut etiam quando alia celebrata fuerit solemnitas extraordinaria, cui propter aliquam magni ponderis rationem adesse oporteat.

Idem ut supra

§. 103. 6. Duodecimus est quando parentes, et avos graviter infirmos invisere, consolari, curamque ipsis impendere concupierint, modo non tam procul habitent, ut opus sit extra monasterium plus una nocte dormire. Si tamen ejusmodi canonici fuerint ex novioribus, qui ad scholam novitiorum pertinent, extra monasterium pernoctare

non valebunt. Decimus tertius est, cum ob infirmitatem de consilio medici opus fuerit thermas, aut balnea sumere, aut in aliquo salubriori loco aliquandiu commorari, ut ab infirmitatibus convalescant.

Idem ut supra

§. 104. 7. Decimus quartus est, cum recreationis causa mittuntur in villas, seu prædia monasteriorum, qui non versantur in schola novitiorum, vel etiam si versentur, dummodo sint infirmi, aut scholares philosophi, vel theologi. Quicumque vero ad recreationem iverint, quæ vulgo dicitur *Brevia*, aut cum debita licentia ad quemlibet locum iter egerint, deflectere poterunt ab itinere, ut parentes, avos, fratres, avunculos, patruos, nepotes, patruales ex fratre, vel sorore in via habitantes, aut tam prope; ut non divertant plus una, aut duabus leucis plus, minusve visitare eant, dummodo prius facultatem a prælato obtineant, qui quidem tempus, quod his visitationibus insumendum erit, præfinit. Monitos tamen prælatos habere volumus, ne licentiam hanc, nisi per modicissimum tempus concedant, nec illis, qui jam alia simili abusi sunt, eam permittant, neque etiam illis, qui loca, vel domos parum decentes adire voluerint, nec ut in eis civitatibus, et oppidis, ubi situm fuerit aliquod congregationis monasterium extra illud pernoctare queat. Ad monialium tamen cœnobia nunquam divertent, nisi forte visitent matrem, vel sorores, si hoc eis concesserit pater generalis cum collegis suis; quod quidem non concedet, nisi pro una vice tantum annuatim, nunquamque ad in ipsorum cœnobiorum hospitalitatis domibus pernoctandum. Qui vero absque debita facultate ad prædicta cœnobia accedat, in eoque comprehensus, juxta formam decreti sacre congregationis Regularium puniatur. Ad meliorem autem hujus præcepti observationem prohibemus sub eisdem pœnis, ne quis alicujus monialis, matre excepta, vel sororibus litteras accipere, vel ad eam scribere presumat.

Idem ut supra

§. 105. 8. Decimus quintus est quoties cancellarius, vel pro-cancellarius, et doctores universitatem Collimbriensem adire debuerint, aut voluerint, aut academicis actionibus, processibus, et actibus literariis intersint etiam, tempore capituli generalis, vel cathedras moderentur. Similiter etiam examinatores synodales, et aliud quodcumque ministerium, vel officium ab ecclesia, vel statu commendatum extra monasterium

habentes, ut illud rite exercere valeant. Eodem quoque modo procuratores, ut villas monasteriorum inspicient, vel hannis temporalibus provideant; et charitophilaces, ut renovent emphytenses, aut laudemia conquirant; et qui in beneficium aliquod parochiale fuerint electi, vel presentati, ut muneribus suis satisfaciant. Si quis præterea ob aliquod magis ponderis negotium sibi proprium, aut peculiare exeundi necessitatem habuerit prior, et consilarii, causa cognita, hanc supplicanti facultatem concedere poterunt ad septem dies, cum eis negotii gravitas certo constiterit.

§. 106. 9. Quotiescumque vero a claustris exierint, secum deferent socium, quem prior designaverit, et tam in egressu, quam in reditu, oratione prius facta coram sanctissimo Eucharistiæ sacramento, priorem adhibent, benedictionem illius, flexis genibus, accepturi, quam quidem benedictionem recipient quoque subditi a prælato foras eunte, aut redeunte. Dum autem extra monasterium fuerint, præcipue meminisse debent regulæ dicentis = In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

CAPUT XVII.

De fugitivis, et apostatis

§. 107. 1. Si qui primæ suæ vocationis, ac promissionis Deo factæ oblii obedientiæ se subtraxerint, a monasterioque auferant, nisi intra septem dies, habitu non dimisso, redeant, tamquam sancti instituti desertores. ipso facto sunt excommunicati excommunicatione majori, a qua nisi a Sede apostolica, vel a superiore congregationis, vel a prælato locali, seu ab illis, quibus ipsi superiores concesserint facultatem, absolvi possunt.

§. 108. 2. Si autem vel perquisiti, et comprehensi, perquiri siquidem, ac reduci debent a superioribus, vel sua sponte redierint, ita recipiantur. Delati ad capitulum, et ab excommunicatione absoluti acriter, et severe reprehensi, pedes omnium deosculabuntur a singulis fugæ, datique scandali veniam postulantes. Deinde carcere conclusi per quantum temporis generali, et collegis visum fuerit juxta criminis gravitatem, biduum singulis hebdomadis in pane, et aqua jejunabunt, atque semel saltem quolibet mense in capitulo subbathi vir-

gis flagellabuntur; hæc tamen solum fiet postquam pater generalis, et collegæ, ipsis fugitivis auditis, sententiam tulerint.

§. 109. 3. Egressi vero de carcere ad infimum locum religiosorum ordinis abijciantur, omni præcisa spe restitutionis in pristinum locum, ac simul jure suffragii, et concionandi, confessionesque audiendi munere, atque omnibus ordinis officiis perpetuo careant, nisi transacto quinquennio, cum illis fuerit a capitulo generali misericorditer dispensatum. Pœnas tamen positivas pater generalis, et collegæ pro ratione circumstantiarum, et personæ, augere vel minuire poterunt, quippe cum iis, qui sponte reversi sunt, veraque signa doloris, exhibent, mitius erit agendum: ii vero, qui solummodo coacti redeunt, aut alia crimina apostasiæ tempore perpetrarunt, acrius sunt puniendi.

§. 110. 4. Siquis ergo post apostasiam penitentia ductus, et ad congregationem reverti cupiens, ad aliquod ejus monasterium se contulerit, prior ejusdem monasterii, dum per literas consulit patrem generalem, apostatam loco separato ab omni aliorum commercio, et sermone segregatum contineat; sed si animo ad congregationem non redeundi, ad aliquod ejus monasterium forsitan veniat, vel prope illud versetur, comprehensus detineatur in carcere, quousque pater generalis, et collegæ sententiam proferant.

§. 111. 5. Siquis autem habitu retento, ante septem dies redierit, quamquam excommunicatus censendus non sit, jejniis tamen, et verberibus post pedum deoscultationem plectatur, et cum voce activa, et passiva, tum ipso loco, et ordine, quem obtinebat, aliquandiu privetur, et in carcere aliquo tempore detineatur prioris, et consiliorum arbitrio.

§. 112. 6. Siquis denique absque prælati licentia extra clausuram, et monasterii septa ad modicam distantiam, et breve temporis spatium exierit, non habebitur pro fugitivo, et apostata; ad ejusdem tamen prioris, et consiliorum arbitrium levitatis, ac temeritatis pœnas luet.

CAPUT XVIII.

De capitulo culparum

§. 113. 1. Quoniam frequenter delinquant homines, frequenter etiam debent corripi, ut emendantur: ideo

De socio adhibendo in deserendo claustrum.

De fugitivis et apostatis.

De receptione fugitivorum.

De exclusionem eorum qui egressi sunt de carcere.

De tractatione apostatum penitentium.

De iis, qui redierint ante septem dies.

De iis, qui ad modicam distantiam discesserint sine licentia.

De capitulo culparum.

singulis sabbathis, ac dominicis in omnibus hujus congregationis monasteriis, capitulum fiet culparum, hoc modo. Sabbatho, finita prima congregabuntur omnes in capituli domo, ubi sedentibus praelato ante altare in scabbello, et canonicis capitularibus in scamno utrinque posito, scholaribus vero, et conversis post lectam distributionem officiorum sequentis hebdomadæ, in medio hinc inde stantibus, primum eos, qui ad scholam pertinent interrogabit praelatus cuiquam confessi sunt, statimque respondebunt singuli nominantes confessarium, qui except illorum confessiones ad formam antiquarum constitutionum alias, ut asseritur a fel. rec. Paulo pp. V. confirmatarum, deinde genuflectentes, et caput superpelliceo cooperientes humiliter defectus suos palam dicent: eosdemque scholares de culpis, ac defectibus, quos aliunde sciverit praelatus, arguet, corriget, puniet, ac tandem exhortatione generali, vel singulari facta, jubebit inde recedere conversos ad officia sua, cæteros autem in claustrum, donec idem capitulum finiatur.

De confessione defectuum.

§. 114. 2. Postquam vero schola novitiorum e capitulo fuerit egressa, canonici capitulares in capitulo remanentes similiter nominabunt confessarium cui confessi sunt peccata sua, similiter genuflexi dicent defectus suos, et a praelato similiter arguentur, increpabuntur, et punientur. His peractis, et scholaribus in capitulum reversis, praelatus inchoabit psalmum: *Laudate Dominum omnes gentes*; quem per choros recitabunt cum *Gloria Patri*, versibus, *Ostende nobis*, = *Domine exaudi*, = et Oratione = *Actiones nostras*. Deinde processionaliter ibunt in claustrum recitantes defunctorum responsorium, et orationem pro cunctis fidelibus defunctis; qua finita kalendarii lector ante conventum positus dicet alta voce = *Benedicite*, cui omnes respondebunt, *Dominus etc.*, ac inde discedent.

Exceptiones peculiare.

§. 115. 3. Sciendum tamen est primo, in hujusmodi capitulis manifestationes culparum non fieri, cum sabbathum fuerit dies sollemnis, aut alia simili causa impeditum. Secundo easdem manifestationes, præsertim in monasterio priore, non fieri ante vicarium, nisi fuerit ei a priore commendatum. Tertio canonicos capitulares non reprehendendos, nec puniendos esse, coram iis, qui versantur in schola novitiorum, nisi propter crimina graviora, jam publica, publicitate juris, vel

facti. Quarto neminem in capitulo debere loqui ad praelatum, nisi petita, et obtenta prius loquendi facultate. Quinto alienam culpam in capitulo ob quamlibet causam, vel consanguinitatem a nemine defendi posse. Sexto maxime cavendum esse, ne unquam extraneis, vel iis, qui extra monasterium fuerint, quidpiam reseratur, de culpis, et correctionibus, quæ in capitulo fuerunt tractatæ. Septimo in eodem capitulo non nisi de culpis corripiendis, et emendandis agendum esse, quippe quæ ad rerum temporalium, et similium, administrationem spectant, in aliis capitulis et temporibus tractari debent. Octavo peccata gravia, et quæ ignominiam afferunt delinquentibus non esse manifestanda puniendave in capitulo veniarum, nisi post sententiam judicalem, aut cum aliquod magnum scandalum fuerit publicum, et notorium.

§. 116. 4. Diebus autem dominicis capitulum sic fiet: postquam finita prima, et oratione mentali ingressi fuerint capituli domum, sedebunt prior ante altare, capitulares utrinque, et scholares humi in stria: statimque antecedentis hebdomadæ hebdomadarii, et eorum ministri, velantes caput superpelliceo, sese prosternent ante pedes praelati, a quo interrogati *Quid dicitis?* respondebunt in primis missæ principalis hebdomadarius = *hebdomada præterita mihi fuit commendata missa conventualis; de culpis, et negligentis, quas in ea feci, et dixi, Dico meam culpam Deo, et tibi*, eodem modo dicet missæ defunctorum hebdomadarius, postea diaconi, et ultimo loco subdiaconi, unusquisque de officio sibi commendato idem proferens; qui a priore psalmum *Misere mei Deus* in penitentiam accipientes surgent, et in sua loca revertentur.

Declarationes ut supra.

§. 117. 5. Deinde cæteri omnes secundum ordinem suum idem agent, respondentes ad eandem interrogationem *De culpis, et negligentis, quas facio, et dico in religione confiteor meam culpam Deo, et tibi* quibus itidem prior supradictam imponet penitentiam, sed cum duo, vel plures generalem veniam simul faciunt de una, et eadem culpa sufficit, ut primus illam declaret, et alii brevius dicant *De eodem dico meam culpam Deo, et tibi*. His peractis, surgent omnes, et prior inchoabit psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*; cæteraque fiant quemadmodum dictum est in capitulo sabbathi.

De formula publice confessionis.

De absolutione
generali.

§. 118. 6. Cæterum in vigilia Nativitatis Domini, et in feria quinta hebdomadæ sanctæ, finita prima, omnes adibunt capitulum veniarum, ubi fiet absolutio generalis ab omnibus regulæ transgressionibus, pœnitentiis neglectis, et censuris, sicut in ordinario rituali hujus congregationis continetur.

CAPUT XIX.

De culparum, et poenarum varietate.

De culparum,
varietate.

§. 119. 1. Cum varia sint culparum genera, quas perpetrare valent religiosi, variæ quoque debent esse illarum pœnæ, ut a perpetrandis caveant, de patrisque doleant. Culparum igitur aliæ sunt leves, aliæ mediæ, seu mediocres, aliæ graves, et aliæ graviores, ac gravissimæ. In his tamen distinguendis superiorum erit, acri iudicio rem expendere, ut leves culpas, aut mediocres a gravibus prudenter discernant; fit enim sæpe, ut peccata, quæ suo genere levia sunt, propter insignem contemptum legis, aut præcepti, proterviam, quæ peccantis ad gravium peccatorum ordinem pertineant. Quare non tam quid factum sit inspicendum est, ut culpa quælibet ponderibus justis examinata, quæ pœna debeat peccantibus inferri, possit rite constitui.

De varietate
poenarum.

§. 120. 2. Pœnarum quoque diversæ sunt classes; juberi namque delinquentibus potest, atque fieri, ut in poenam suorum delictorum aliquandiu mentaliter orent, vel preces aliquot recitent, vel humi jaceant, vel maneant alicubi genuflexi, aut stantes, vel commendant humi, vel pedes aliorum in capitulo deosculentur, vel jejument, vel flagellentur, vel in carcerem detrudantur, vel ad scholam novitiorum reducantur, vel in aliquem locum relegentur, vel a congregatione expellantur, prout meruerint culpæ ipsorum.

De poena pœnitentium post sententiam.

§. 121. 3. Pœnitentes vero, qui post sententiam carcere vinculati, aut sine vinculis fuerint, semper mensæ pauperum edent, quemadmodum illi humi comedunt, neminique loquentur absque superioris licentia speciali, nisi carceris custodibus, vel ipsorum procuratoribus. Qui humi jacuerint supra latus dexterum ad limen capituli se prosternent, donec transeant omnes capitulum ingredientibus.

De his, qui hu-
mi comedere
teentur.

§. 122. 4. Qui comederint humi ad prandium solummodo primæ mensæ ibunt ante gradum mensæ princi-

palis, ibique ponentes quoddam scabellum ad id deputatum, permanebunt genuflexi quoad eis fiat a priore signum speciale, quo facto, eidem sese inclinabunt, sedebuntque in dicto gradu, ut edant panem secundarium, et ea tantum, quæ ipsis prælatus, vel magister novitiorum, si pœnitentes fuerint de ipsius schola, jusserit apponi: prandio tamen finito, ad primum campanulæ signum iterum genuflectentes, ut in principio mensæ sic manebunt quousque decantetur in fine refectionis = *Deo gratias* = et ipsi pœnitentes in sua loca discedant.

§. 123. 5. Qui flagellandi fuerint in capitulo tantum a superiore super humerum dexterum ab ipsis pœnitentibus denudatum quibusdam virgis flagellabuntur, interea dum capitulares utrinque sedentes recitant psalmum, quem superior inchoaverit. Qui ad scholam novitiorum deducuntur in nomine et in omnibus aliis sequentur professos ad eandem scholam pertinentes. Qui ad exilium, et expulsionem damnandi sunt, secundum formam juris prius audientur, et judicabuntur.

De flagellandis
in capitulo,
aliisque ad
exilium dam-
nandis.

§. 124. 6. Oneramus autem prioris, et consiliariorum conscientias, ut prædictis pœnitentiis infligendis prudenter se gerant, deponentes amorem, odium, timorem, ac favorem, habentes semper Deum ante oculos, semperque inclinantes ad misericordiam erga contritos.

De prudentia
adhibenda in
gravissimis
pœnis infligendis.

CAPUT XX.

De culpis levibus.

§. 125. 1. Nomine culpæ levis intelligitur peccatum illud, quod non mala mente, aut improbo animo, sed per ignorantiam, aut incuriam, aut oblivionem, aut negligentiam, aut iudicium minus rectum, aut linguæ lapsum aut alia hujusmodi committitur, ut exempli gratia; si quis in choro non fuerit, finito ultimo signo, ad horas: si quis in choro circa res ad chorum pertinentes leviter delinquens non statim genua flexerit, pectusque percusserit: si quis non fuerit attentus ad officium divinum, aut levitatem ostenderit, existens male compositus, vel oculis vagis aspiciens, vel gestum aliquem faciens minus religiosum: si quis synocopam fecerit, aut non juxta puncta distinxerit, cum divinum recitaverit officium, aut in eo dormitaverit: si quis non præviderit lectionem, aut of-

De culpis le-
vibus.

ficiam sibi injunctum tempore convenienti.

De iis, qui negligentiter tractaverint libros, et ornamenta ecclesiae.

§. 126. 2. Si quis libros, aut ornamenta altaris, vel ecclesiae negligentiter tractaverit; si quis libros, quibus legendum est, aliave, quæ ad suam acceperat necessitatem tempore congruo non reddiderit; si quis incesserit oculis vagis, vel otiosus tempus in multiloquio perdens; si quis in dormitorio aut alio quocumque loco turbationem aliquam excitaverit; si quis alios ad risum dissolute moverit, aut verba otiosa loquutus fuerit, aut res fecerit ridiculas, aut ludricas; si quis reprehensionem humiliter non receperit, vel emendationem, cum fuerit correctus; non promiserit; si quis cum foras vadit, vel foris venit prioris non acceperit benedictionem, vel id ipsum non fecerit, cum prior recesserit, vel accesserit.

De iis, qui vestes minus mundas gestaverint.

§. 127. 3. Si quis vestes dissutas gestaverit, minusve mundas, et aptas, quam regularibus canonicis, altarisque ministris conveniat; si quis vas aliquod frugerit, aut vinum, vel cibum per mensam effuderit; si quis in officiis sibi commendatis negligens fuerit, vel ad aliquem communitatis actum vocatus præsto non venerit; si quis absque legitima causa præsens non fuerit in capitulo, aut processione, aut primæ mensæ refectione; si quis absque necessitate cum juramento aliquid firmaverit, vel negaverit; si quis pro cibo, aut vestitu murmuraverit; si quis de fratribus conquestus fuerit, quod aliquid minimum contra se dixerint; si qui absque necessitate, in aliorum officia se se intromiserint.

De poenis indicendis pro levibus culpis.

§. 128. 4. Pro hujusmodi culpis, et similibus, orationum recitatio, vel pedum osculatio, vel genuflectio aliquandiu perseverans, vel ciborum minutio in refectione, vel aliquid simile ad poenitentiam imponendum erit.

CAPUT XXI.

De culpis mediis

De culpis mediis.

§. 129. 1. Vocantur culpæ mediæ, sive mediocres illæ, quæ licet veniales sint, majorem tamen deformitatem habent, quam præcedentes; ut exempli gratia; si quis censuerit culpam aliquam levem committere, aut legem aliquam ad peccatum non obligantem violare; si quis silentium speciale frugerit, aut consueverit esse otiosus; si quis capitularis cum aliquo canonico

ad scholam spectante, aut vicissim absque licentia speciali fuerit locutus; si quis aliquid cum aliis canonicis sine licentia commutaverit; si quis ordinis secreta non gravia revelaverit; si quis officialis officium suum diligenter complere non curaverit.

§. 130. 2. Si quis moralibus collationibus, sine legitima causa præsens non fuerit, aut tempore studii literis operam non dederit, aut vespertinæ orationi mentali non interfuerit; si quis id quod major capituli pars decreverit, aut subscripserit, subscribere noluerit; si quis non curaverit discere, aut scire, quæ sibi discenda fuerint commendata cum ponderis sint non parvi; si quis alicui votum, quod in capitulo dedit, exprohaverit, aut alicui poenitentiam, quam sibi, dum prior esset, imposuerat, objecerit; si quis ordinis jejunia, quæ non obligant sub lethali, frugerit; si quis aliquo missus ultra assignatum tempus sine rationabili causa tardaverit.

Enumeratio culparum mediarum.

§. 131. 3. Si quis suam vel alienam culpam contumaciter defenderit; si quis cum aliqua quacumque persona, sive religiosa, sive sæculari verbis contenderit incompositis; si quis deprehensus fuerit scienter fuisse mentitum; nisi fuerit mendacium jocosum, aut officiosum; si quis alicui præteritam culpam objecerit, pro qua jam satisfecerit; si quis aliquod malum de suo priore, aut de fratribus dixerit, quod probare non possit; si quis alterius cella ingressus fuerit sine licentia, nisi forte, ut aliquam personam extraneam comitetur; si quis cum altero de futura prioris electione tractaverit; aut in ipso electionis actu silentium frugerit; si quis providendi officium habens fratribus non providerit, quando opus fuerit; si quis intra, vel extra monasterium, reverentiam prælato non exhiberit, aut cum eo tamquam cum æquali verbis contendere ausus fuerit.

Sequitur ut supra.

§. 132. 4. Pro unaquaque istarum, et similium delinquentes, semel in capitulo flagellentur, et comedant humi: quod si in eisdem perpetrandis continuaverint, eadem poena duplicetur, et pro ratione continuationis, et consuetudinis poena in duplum semper augeatur. Si tamen culpa, aut poena ex similitudine judicanda fuerit, prior id faciet cum consiliariis.

De poenis aptandis culpis mediis.

CAPUT XXII.

De culpis gravibus.

De culpis gravibus.

§. 133. 1. Culpæ gravis appellatio-
ne, veniunt non solum ea, quæ li-
quido peccantis animum graviter læ-
dunt, sed etiam quæ regulari obser-
vantia per magnum vulnus infligunt,
ut exempli gratia: si quis per spatium
unius diei prælato suo fuerit formaliter
inobediens: inobedientia tamen forma-
lis non censetur, nisi res gravitatis
capax in virtute Spiritus Sancti, vel in
virtute sanctæ obedientiæ fuerit præcep-
ta. Siquis adversus congregationis liber-
tates, jura, privilegia, et ordinationes
insurrexerit, vel auxilium ab aliquo in
id ipsum postulaverit; si quis opem de-
derit, ut e carcere, aut etiam a mo-
nasterio quispiam fugeret; si quis epi-
stolas ad libidinem sollicitantes scripse-
rit, et alicui personæ miserit, aut ali-
quid simile contra castitatem sine ma-
gno scandalo operatus fuerit.

De auctore li-
belli famosi.

§. 134. 2. Siquis aliquem libellum
famosum fecerit adversus aliquam per-
sonam particularem, aut quempiam de
crimine gravi falso accusaverit; si quis
alium graviter percusserit, aut alicui
magnam injuriam fecerit; si quis aliquam
istius congregationis personam apud ex-
traneos infamaverit, aut ejusdem defe-
ctus graves illis manifestaverit; si quis
duodecim aureorum summam ex bonis
communibus furatus fuerit; si quis de
alio quocumque testimonium dixerit
falsum in materia gravi, aut etiam vera
crimina, sed occulta publicaverit; si-
quis absque ulla rationabili causa, vel
privilegio per quatuor menses choro non
interfuerit.

De subornato-
ribus suffra-
gantium in ele-
ctionibus.

§. 135. 3. Siquis alium pro eligen-
do quolibet prælato, vel collega, vel
definitore subornaverit; si quis ex malo
consilio, et perversa concordia cum aliis
facta aperte in re gravi contra prælatum
suam insurrexerit, aut conspiraverit;
si quis procuraverit priores non eligi,
aut ipsorum electiones temporibus sta-
bilitatis non fieri, aut capitulum gene-
rale tempore in his constitutionibus de-
terminato, non celebrari, aut prælatos
ultra triennium protendi: si quis Eccle-
siæ jejunia, vel etiam ordinis sub præ-
cepto gravi injuncta, cum possit, non
servaverit, aut præcepto audiendi mis-
sam non satisfecerit; si quis aliquod pec-
catum mortale, veluti perjurium, ebrie-
tatem, et similia sine magno scandalo,

et gravioribus circumstantiis aperte com-
miserit.

§. 136. 4. Quisquis aliquam ista-
rum, vel similium culparum pataverit
in carcere occludetur per quatuor
menses, et per decem dies exercitia fa-
ciet spiritualia, quæ communiter di-
cuntur sancti Ignatii.

De poenis pro
criminalibus ut
supra.

§. 137. 5. Has tamen poenas non
irrogabit prior sine consiliariis, neque
sine ipsis in carcerem mittere, brevi
licet tempore, quempiam valebit, nisi
fuerit imminens fugæ periculum; sed
causa cognita, et probata, illas impo-
net prior simul, et consilarii, qui qui-
dem poterunt etiam easdem mittere,
vel augere prout viderint expedire, aut
circumstantiæ postulaverint. Ratio quip-
pe ostendit, mitius agendum esse cum
iis, qui sponte confitentur, quam cum
iis, qui plane convincuntur; sicut etiam
durius tractandos esse, qui jam con-
victi adhuc negant, quam qui emen-
dationem promittunt, veniam petunt,
et contritionem manifestant.

De forma ser-
vanda in irro-
gatione poena-
rum gravissi-
marum.

CAPUT XXIII.

De culpis gravioribus

§. 138. 1. Culpæ graviore dicun-
tur illa crimina, quæ non solum sunt
lethalia, sed quandam horribiliorem
secum habent enormitatem; qualia sunt,
homicidium voluntarium; furtum per
magnæ multitudinis aureorum, vel re-
rum sacrarum, ebrietas consueta, et pu-
blica, lapsus carnis cum secunda persona,
opere consummatus, vel scandalosa lu-
xuries; ingens damnum congregationi,
vel communitati illatum, magna bo-
norum communitatis dilapidatio, for-
malis inobedientia per integrum annum
perseverans, diffamatio congregationis,
aut alicujus monasterii quocumque præ-
textu apud extraneos facta, consuetudo
notoria perpetrandi quamlibet ex culpis
gravibus, et alia id genus, quæ delin-
quentes infamant.

De culpis gra-
vioribus.

§. 139. 2. Quicumque igitur ali-
quam ex culpis gravioribus commiserit,
voce activa, et passiva, ac etiam con-
cionandi, confessionesque excipiendi mu-
neribus perpetuo careat, nisi post tran-
sactos quinque annos fuerit cum eo mi-
sericorditer a capitulo generali dispen-
satum, sicut de apostatis, et fugitivis
dictum fuit: in carcerem quoque de-
trudantur saltem per duos annos, usque
ad decem, prout circumstantiæ deli-
ctorum, et delinquentiam postulaverint.

De poenis in-
curvendis ab
eis qui culpis
gravioribus
sese coinqui-
naverint.

semel qualibet septimana jejurent in pane, et aqua, semel saltem quolibet mense in capitulo sabbathi virgis flagellentur; et a ministerio, seu exercitio ordinum postquam egressi fuerint e carcere, per unum saltem annum suspendantur.

De monitionibus faciendis ad poenitentes

§. 140. 3. Ne tamen hujusmodi poenitentes in desperationem veniant, prior fratrem aliquem, aut fratres prudentes, qui eos moneant ad satisfactionem, et poenitentiam humiliter agendam, ad ipsos mittat; si ejusmodi fratres, aut alij vera humilitatis, et contritionis signa in eis viderint, priorem rogent, ut illorum misereatur, et prior libenter suscipiat preces istas, ac poenitentiam moderetur cum consiliariis, prout viderint expedire, quantum ad poenas positivas dumtaxat, non quoad privativas. Sed si eos forte repererint in contumacia, et cordis duritia persistentes, addentur eis plures dies supradictarum poenitentiarum, ut saltem formidine poenae in peccato nolint perseverare.

De reis culpae capitalis.

§. 141. 4. Quicumque vero crimen aliquod vel culpam commiserit, pro qua in foro saeculari mortem subiret corporalem, praeter caeteras omnes culpae gravioris poenas ab ipso toto vitae suae spatio sustinendas, per decem annos in carcere strictiori vinctus detineatur, aut si ratione alicujus scandali, vel infamiae vitandae capitulo generali visum fuerit habitu exuto, in Asiam, vel Africam relegetur, adepto primum regis consensu.

De pervicacibus, et obstinatis in crimine.

§. 142. 5. Siquis proinde adeo pervicax suae salutis fuerit contemptor, ut post aliqua ex gravioribus perpetrata scelera, in eadem, aliave pluries adhuc relabatur, gravissime peccare consensus erit. Hic autem si ter monitus per sententiam, punitusque fuit pro gravioribus, et noluerit respiscere, licet impositas poenitentias sustinuerit, ut incorrigibilis debet judicari, caeterique religiosi ab eo caveant, et discedant, quemadmodum apostolus de homine haeretico fieri jubet. Ac ideo quisquis talia commiserit, incorrigibilisque fuerit judicatus, ejiciatur foras, seu in perpetuum a congregatione et habitu expellatur, aut si propter majoris mali timorem capitulo generali expellendum non esse visum fuerit, ab eodem capitulo perpetuis carceribus includatur.

De modo quo constare debeat de incorrigibilitate alicujus.

§. 143. 6. Ut tamen constare de alicujus incorrigibilitate, in eumque sic animadverti queat, juxta formam juris, in unaquaque sententia delinquens ad-

monebitur, et monitio in acta referetur; ibique apertis verbis explicabitur adversus ipsum, nisi deinceps respiscat, secundum jus, et has constitutiones procedendum fore; et illius responsio scriptis mandabitur, quam ipse subscribet, cum superiore, ac patribus, qui eidem monitioni interfuerint. Hoc autem factum, in prima, et secunda vice, qua per sententiam correctus, punitusque fuit, si tertio fuerit lapsus, ut incorrigibilis habeatur, aut judicabitur.

§. 144. 7. Caeterum circa praedicta culparum genera, illud erit observandum, ut qui culpam gravem frequenter committunt, poenam graviolem sustineant, qui culpa graviore soleat innodari, poenam gravissimam luant. Quo tamen judicialis ordo rite servetur, culpas leves, et mediocres judicabit, ac punient prior, et consiliarii: culpas graviores primo judicabit prior cum consiliariis, deinde sententiam, et acta transmittent ad patrem generalem, et collegas, a quibus prioris, et consiliariorum sententia confirmabitur, aut infirmabitur, et a quibus etiam remittentur eadem acta ad capitulum generale, ut ab eo generalis, et collegarum sententia confirmetur, aut infirmetur, augeatur, aut minuat, idemque respectu culparum fiet gravissimarum. Semper autem substantialis ordo judiciorum observabitur, nisi culpae sint leves, aut mediocres.

Declarationes speciales.

CAPUT XXIV.

De novitiorum schola

§. 145. 1. Quum virtutibus acquirendis, probandisque vocationibus tyrocina religionum fuerint instituta, rei que tantae obtinendae sufficiens locus, magister, et tempus requirantur; decernimus, ut in monasteriis tantum Collimbriensi, Mafrensi, et alijs, ubi plusquam vigintiquinque canonici capitulares fuerint accolae fiant tyrocina, unusque in unoquoque sit scholae magister, qui doceat, dirigat, et corrigat singulos ad novitiorum scholam pertinentes; pertinebunt autem omnes canonici, a die recepti habitus, quousque septem compleant religionis annos.

De schola novitiorum.

§. 146. 2. Omnes igitur, qui in hac versantur schola, mundi commercium penitus vitabunt, vanitatem, socordiam, ingluviem, delinquendique pericula caute fugient: communem inter se charitatem habebunt, quia alius cum alio amicitiam contrahat particularem:

De vita gestanda ab his qui in scholis versantur.

humilitatem, patientiam, ac modestiam oris, et operis semper tenebunt, et cunctis ubique manifestabunt; obedientiam, paupertatem, et castitatem apprime custodient; omnique virtutum genere continuo exercebuntur, ut secularia desideria fugientes, et semetipsos abnegantes, vocationem, ac electionem suam certam faciant.

Idem ut supra.

§. 147. 3. Semper ad chorum processionaliter ibunt cum scholæ magistro, et ejus socio, pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta locis, et temporibus in capite de confessariis, et communione præscriptis semper accipient. Mane postquam exirent a choro, aut a capitulo sabbathi, quotidie missam audient in tyrocini sacello, ubi communicabunt quoque, si dies fuerit communionis: coronam beatissimæ Virginis quotidie recitabunt singulatim: sanctam m. p. Augustini regulam memoriæ tradent. Doctrinam christianam, cæremonias ecclesiasticas, generales breviarum rubricas, cantum planum, et status religiosi munera apprime discent. Lectiones, quæ ab ipsis in choro sunt recitandæ, aut canendæ prius legent, et tempus, quod a choro, cæterisque muneribus exequendis superfuerit in rhetorica, et linguis addiscendis, si intra novitatum magistrum adsint, vel etiam sacrarum reliquiarum thecis, et similibus conficiendis impendent, ne unquam sint otiosi.

De exercitiis pietatis peculiaribus, præter communia.

§. 148. 4. Præter exercitia pietatis, quæ omnibus canonicis sunt communia, hæc agent: quotidie post vespas diebus non impeditis, lectioni spirituali per semihoram vacabunt: quotidie in tyrocini sacello statim post cœnam cum scholæ magistro adunati litaniam beatissime Virginis recitabunt, et conscientias suas per unius saltem horæ quadrantem examinabunt; quo examine peracto, et magistri benedictione accepta, in cellas discedere poterunt: quolibet mense per unius diei spatium a quacumque re temporalis abstracti, solis rebus spiritualibus operam dabunt: singulis trienniis per decem dies ab omnibus curis temporalibus, et hominum colloquio semoti, exercitiis tantum spiritualibus applicabuntur; hæc enim facientes plenariam indulgentiam peccatorum consequentur: et cum magistro visum fuerit semel saltem quolibet mense collationes habebunt spirituales; ut antiquorum patrum sequentes vestigia, in vita spirituali profundius radicentur.

§. 149. 5. Silentium intra monasterium perpetuo servabunt, nec loquentur unquam, vel secum invicem, vel cum capitularibus, vel cum domesticis, vel cum extraneis, nisi præsentem prælatum, aut scholæ magistro, vel de illorum facultate speciali. Poterunt tamen loqui ad invicem de rebus sanctis, ac devotis, vel saltem de indifferentibus, cum recreationis causa in monasterii villam iverint deambulatum; ibunt enim post vespas duobus tantum diebus in qualibet septimana, si pluries hanc recreationem iis non concesserit prælatus. Sed cum ita deambulatum iverint, non divisim, sed conjunctim deambulant, semperque a magistro suo, vel ejus ducentur coadjutore. Cum autem locuti fuerint prælatum, aut scholæ magistro, semper genuflectent, atque sic permanebunt, quousque surgere jubeantur.

De silentio ab eisdem servando.

§. 150. 6. A contentionibus, jurgiis, et factionibus omnino cavebunt. Reprehensiones, pœnitentias, et mortificationes sibi a prælatum, aut a magistro injunctas, quamvis se innocentes judicent, patienter sustinebunt. Unaquaque sexta feria, exceptis iis, quæ a vigilia Nativitatis usque ad octavam Epiphaniæ, et a Paschate, usque ad Pentecostem venerint, flagellationem in tyrocini dormitorio conventualiter sumunt paulo antequam ad matutinum eant, nisi dies fuerit solemnus.

De contentionibus, et jurgiis ab eis vitandis.

§. 151. 7. Juxta distributionem a magistro, vel ejus coadjutore faciendam, dormitoria, et sacella singulis sabbathis verrent, et ubi commode fieri potest, dormitorii candelabra singulis diebus abstergent, et accendant. Chororum singulis hebdomadis mundabunt, et præparabunt. Singulis diebus mane ad primam, et post meridiem ad vespas, cæteros canonicos a somno excitabunt. Singulis mensibus super terram jacebunt ad ingressum capituli veniarum, dum cæteri canonici transeunt ad idem sabbathi capitulum; eodemque die humi comedent in refectorio.

De munditie ab ipsis paranda in dormitoriis.

§. 152. 8. Singuli quoque defectus suos palam dicent, pœnitentiamque accipient in capitulo, quod eis semel saltem qualibet hebdomada fiet a magistro in hunc modum: statim post vespas, quando vespas non recitantur ante prandium, omnes ad scholam pertinentes processionaliter ibunt a choro ad aliquam tyrocini domum, capitulo destinatam ubi stantibus omnibus magister dicet: *Salvos fac servos tuos* respon-

De publica defectuum confessione ab ipsis faciendâ.

debut cæteri = *Deus meus sperantes in te = V. Mitte eis Domine auxilium de sancto = R. Et de Sion tuere eos = V. Domine exaudi orationem meam = R. Et clamor meus ad te veniat = V. Dominus vobiscum = R. Et cum spiritu tuo = Oremus = Deus qui renuntiantibus seculo thesaurum non deficientem reddis in Cælo, hanc congregationem tuam Spiritus Sancti rore foecunda; et gratiam, qua omnes in te perseverent, fraternoque ferveant amore infunde, Per Christum Dominum nostrum. = R. Amen.*

De oratione ab eis recitanda.

§. 153. 9. Hac oratione recitata magister sedebit in scabello, alii vero humi in storia, et reliqua peragentur, sicut in capite de culparum capitulo præscribitur. Quibus peractis omnes simul cum magistro genua flectentes dicet antiphonam = *Christus factus est pro nobis obediens etc.* Statimque magister subjunget orationem = *Respice quæsumus etc.* cui omnes respondebunt = *Amen* = atque inde discedent.

De eorum tyrociniis.

§. 154. 10. Omnes denique vitam agent in tyrocinii domo, atque dormitorio a capitularibus segregato, et supra se clauso, cujus claves erant sub potestate magistri, nec ullus sine licentia ipsius poterit inde exire. Postquam vero septem annos in tyrocinio compleverint, eos statim prior eximet a schola, ipsis conferens birretum coram consiliariis in exemptionis signum, deincepsque mutato fratris prænomine in *domnum* inter canonicos capitulares numerabuntur, et in capitulo conventuali voce activa gaudebunt, ac passiva, et capitulares vocabuntur. Si tamen aliquot habuerint crimina, proptereaque in tyrocinio adhuc detineri mereantur, id, causa cognita, ipsisque auditis, prior, et consilarii, iudicabunt.

CAPUT XXV.

De fratribus conversis

De fratribus conversis.

§. 155. 1. Ut canonici divinis laudibus in choro celebrandis, literarum studiis conficiendis, clericali que instituto adimplendo liberius, et quietius insistant, recipi valebunt aliquot laici, sive conversi, qui opera, ac ministeria servilia obire, resque temporales, sicut eis fuerit injunctum, curare debeant. Hujusmodi tamen pro qualibet congregationis domo recipiendorum numerus a capitulo generali singulis trienniis præfinitur, nec plures recipiantur, quam ad serviendum opus sit.

§. 156. 2. Admittentur autem a priore, consiliariis, et conventu instar canonicorum. Nulli tamen poterunt recipi, qui matrimonii vinculo, aut servitutis fuerint ligati, vel a parentibus, aut avjs ob hærsim, et apostasiam a religione catholica, vel ob erimen læsæ majestatis punitis, aut judicatis progeniti; vel ære alieno, præsertim regio, aut aliqua civili obligatione fuerint obstricti, vel habituali, aut contagioso morbo laboraverint; vel infamiam, aut magnam corporis læsionem habuerint, vel parum mentis compotes, sive fatui esse videantur; vel vigesimum ætatis annum nondum attigerint, aut quadragessimum excesserint: de hisque omnibus inquirendum erit, quando illorum fiunt inquisitiones de genere, vita, et moribus secundum juris formam.

De excludendis ob impedimentum matrimonii, hærsis, et similia.

§. 157. 3. Literæ vero in conversis nullæ requiruntur, cum totum eorum officium in operibus, et ministeriis temporalibus, et abjectis versetur: neque ad ordines promoveri etiam a capitulo generali possint unquam quemadmodum neque a suo statu ad canonicorum statum mutari. Unde plus literarum quam sciebant, quando ingressi sunt addiscere numquam permittentur: hocque illis ante ingressum, sicut etiam ad serviendum tantum recipi declarandum erit.

De literis a conversis scribere licitis.

§. 158. 4. Postquam admissi fuerint a priore, et conventu tyrocinium ingredientur, in cujus sacello, congregatis iis, qui ad scholam pertinent; scholæ magister brevi quadam exhortatione facta, hujusmodi conversos induet tunica, cingulo, scapulari lineo, et palliolo rotundo, sive almurtia sine cucullo, intereaque temporis aliquot preces recitabuntur. Sic recepti manebunt in tyrocinio per integrum annum, quo exacto, proponentur a priore in capitulo conventui, ut per secreta suffragia approbentur, aut reprobenentur ad instar canonicorum. Qui approbati fuerint prosequantur in congregatione intra, vel extra monasterium obeuntes ea, quæ sibi fuerint demandata; statimque juramentum in manu magistri novitiorum præstabunt, quo se ad castitatem, obedientiam, et fidelitatem circa res omnes sibi commissas particulariter obligent. Non tamen profitebuntur, nisi biennio in religione transacto, quo finito, iterum a priore proponentur in capitulo conventui, ut approbentur, aut reprobenentur eodem modo, ac in fine primi religionis anni.

De vestitione conversorum.

De professione
ab eis emittenda.

§. 159. 5. Qui autem in fine dicti biennii approbati fuerint, statim professionem emittent in hunc modum: congregato conventu, non in ecclesia, sed in capitulo, aut aliquo particulari sacello, sacerdoteque sacrum sine cantu celebrante, conversus, qui professurus est tempore offertorii coram omnibus alta voce leget chartam professionis, a se subscriptam, lingua vernacula dicens: *Eu fr. N. me offeroco a Deos, e a congregacos de santa Cruz, et prometo obediencia as reverendissimo padre general P. N. e a os seus successores canonicamente electos; etambem prometo pobreza, e castidade, segundo a regra de santo Agostinho nuestro padre* Quibus dictis, ipsemet sacerdos celebrans eidem imponet super humeros palliolum rotundum cum caputio, sive almutiam, et ante finem missæ sacram ei præbebit Eucharistiam.

De gubernio,
et correctione
novitiorum.

§. 160. 6. Omnes tamen conversi toto vitæ suæ tempore sub gubernio, et correctione magistri novitiorum in schola permanebunt. Votum in capitulo nunquam habebunt; semper mensæ primæ et secundæ in refectorio servient: munia domus inferiora semper obibunt: opera servilia, quæ ipsis fuerint injuncta, diligenter exequentur, persuasi, quod congregationem sic juvando quomelius illa rebus ad majus Dei obsequium vacare pertinentibus possit, eidem omnium Domino serviunt, quandoquidem propter divinum ipsius amorem id faciunt.

De eorum exclusione a mensa communii.

§. 161. 7. In prima mensa nullatenus edent, nisi forte ob penitentiam humi comedant, ad communitatis actus nequaquam admittentur, nisi tantum ad capitulum veniarum, et orationem mentalem, corona semper carebunt: almutiam cum caputio, sive cucullo non habebunt, nisi postquam fuerint professi; superpellitium nunquam portabunt, nisi cum ad sacram accesserint communionem, aut capitulo veniarum interfuerint, aut alicujus missæ fuerint acolythi: neque in processionibus unquam incedere permittentur.

De vestibus
conversorum.

§. 162. 8. Vestes conversorum erunt sequentes; scapulare parvum ex lino semipalmaris latitudinis, et longitudinis ad cingulum pertingentis: tunica talaris ex panno subnigro: laneum cingulum ejusdem coloris; palliolum rotundum ex eodem tunicæ panno, et ejus longitudinis, ut tres digitos, vel quatuor descendat infra cubitos brachiorum, cujus forma similis erit almutiæ sine duplicio, et a fronte apertæ: pal-

lium talare ex eodem panno; cæteras autem vestes, exceptis chlamidibus, et birreto, habebunt sicut canonici habent, quæ quidem ipsis tribuentur, prout cuique opus fuerit. Ex iis tamen omnibus solum scapulare lineum est illorum, quem semper deferre tenentur, habitus.

De recitatione
horarum
conversorum.

§. 163. 9. Conversi quoque horarum canonicarum pensum per quandam orationis Dominicæ, et salutationis angelicæ numero definitam, repetitionem persolvent. Ac pro præcibus quidem matutinis, dicent vices *Pater Noster*, totidemque *Ave Mariæ*: pro vespers decies; pro unaquaque aliarum quinquies. Sed diebus dominicis, et festis, quibus ab opere cessatur, totum pensum duplicabunt.

De aliis actibus pietatis,
et religionis.

§. 164. 10. Et qui in monasteriis degunt, eadem confessionis, communionis, orationis, et lectionis spiritualis lege, qua canonici, non sacrum celebrantes, tenebuntur. Qui vero in villis, aut prædiis commorantur, semel saltem singulis mensibus confitebuntur peccata sua, et communicabunt; afferentque postea de hære ad superiorem confessorii testimonium. Si quod tandem pharmacopolium fuerit in aliquo monasterio, pharmacopole officium conversi quoque exercere valebunt.

CAPUT XXVI.

De cura pro ægotantibus, moribundis, et mortuis.

§. 165. 1. Quoniam tempore infirmitatis maxime apparere debet quam bona, jucunda, laudabilisque sit habitatio fratrum in unum: cunctis præcipimus superioribus, ut magnam infirmorum debiliam, et invalidorum curam habeant, erga ipsos præcipue fraternam exercent charitatem, et eos frequenter visitent, foveant, consolentur. Decernimusque, ut cum aliquis in morbum incidit, de infirmitate sua certum faciat infirmarium, qui statim prælato id referet; medicum, vel chirurgum advocabit; pharmaca, et cætera omnia ad infirmitatem depellendam necessaria parari diligenter curabit. Alii vero religiosi non solum ipsum invisent, ac verbis consolabuntur, sed etiam opere in iis, quibus opus fuerit, adjuvabunt.

De cura ægotantium.

§. 166. 2. Sed ante omnia superior ipse, vel infirmarius, ægotum admonet, ut propter varios casus, qui interdum infirmis solent accidere, sa-

De monitionibus cum ægotantibus adhibendis.

cramentis Ecclesiæ, pœnitentiæ præsertim, et Eucharistiæ se muniant. Quo rite facto, medicis deinde se curandum tradet, interimque humilitatem, et patientiam præferens, non minorem ædificationem quam morbo laboret, quam dum corpore valebat, omnibus præstare sataget.

De sacramentis eiusdem sup-
peditandis.

§. 167. 3. Si tamen infirmitas adeo ingravescat, ut extrema, vel periculosa esse videatur, interea dum suæ mentis compos existit, sacrum viaticum, et extrema unctio ipsis ministrabuntur, et aliqui fratres assignabuntur, qui diu, ac noctu apud ipsum excubent cum cruce, et aqua benedicta.

De assistentia præbenda mortui proxima.

§. 168. 4. Ubi vero perspectum fuerit animam corpus deserere, duo signa conventui dabuntur quibusdam ferreis crepitaculis in triduo paraseves usitatis, quibus auditis, omnes, posthabita quacumque occupatione, diligenter accurrent, ut fratri jam jam morienti adsint, officium agonizæ recitent, et apostolicum symbolum cantent.

De litanis pro eis recitandis.

§. 169. 5. Quod si contigerit hoc tempore conventum divino officio interesse, aut alia detineri occupatione, quæ commode prætermitti non possit; ii tantum ibunt, qui a superiore missi fuerint, recitabuntque litanias cum cæteris, quæ in commendatione animæ continentur. Tempore tamen agonizæ per aliquod temporis spatium pulsabitur cymbalum sacrum ad id jam destinatum. Si autem peracta commendatione nondum obierit, recedet conventus, iis tantum permanentibus, quos superior manere iusserit, ut obeunti assistant.

De exequiis peragendis supra mortuos.

§. 170. 6. Postquam ex hac vita decesserit, extemplo cymbalis solita signa edentur, eademque, vel sequenti die, totum officium defunctorum, missaque pro ejusdem anima solemniter celebrabitur, et corpus sepulturæ tradetur, observatis de more cæremoniis, et aliis ad funus, et exequias pertinentibus, sicut in ordinario congregationis describuntur. Octavo autem die sacrum defunctorum cum suo nocturno, et in fine missæ, unum responsorium ad ejusdem tumulum a conventu decantabitur. Quod idem fiet in fine mensis, et anni.

Idem ut supra

§. 171. 7. Hæc omnia fient in domo, ubi quempiam mori contigerit, et si non sit ex illius habitatoribus. In ea vero in qua mortuus habitabat, præter dicta, a die quo sepultus est, vel qua mors ejus est scita, usque ad

diem trigesimum primum sequentem, quotidie pro ipsius anima unum sacrum recitabitur cum responsorio in fine super illius sepulchro, quod nigro paño coopertum erit per totum id tempus; et in refectorio ponetur defuncti portio mantili cruce nigra signato cooperta, quæ alicui pauperi pro ejus anima in fine refectiois dabitur.

§. 172. 8. Sed in unoquoque e reliquis monasteriis unum sacrum funebre cum suo nocturno, et responsorio in fine cantabitur pro singulis canonicis e vita decedentibus, et quilibet sacerdos ejusdem congregationis tenebitur quantocius pro anima canonici defuncti septies sacrum facere. Qui vero sacerdotes non fuerint, intra dies triginta officium defunctorum sexies recitabunt.

§. 173. 9. Pro patre tamen generali, si mori contigerit dum generalis fuerit, in omnibus monasteriis officium novem lectionum dicetur. Et in singulis monasteriis erit quidam liber, in quo uniuscuiusque fratrum e vita decedentium nomen, et cognomen, atque mortis dies, mensis, et annus a scriba conventus adnotandus erit, qui liber obitus appellabitur. Prælati vero, in cujus domo aliquis obierit, tenebitur intra mensem alios congregationis prælatos certos facere de illius obitu.

Speciales declarationes pro funere patris generalis.

§. 174. 10. Conversi autem recitare tenebuntur, pro quocumque religioso, quando obierit, sex rosaria. Et pro ipsis conversis in monasterio, unde e vita migraverint, officium integrum defunctorum cantabitur; modusque funeris, et exequiarum, erit idem, qui servari solet in obitu canonicorum, in quorum etiam habitu sepelientur: sed in reliquis monasteriis, unum tantum pro illis sacrum funebre decantabitur, et singuli sacerdotes bis sacrum facient: reliqui vero religiosi semel officium defunctorum recitabunt, et eorum nomina in obitus libro describentur.

De suffragiis conversis faciendis.

§. 175. 11. Si tamen contigerit aliquem novitium mori, ante professionis suæ diem, exequiæ illius, et officium tumulationis integrum celebrabitur, quemadmodum pro professis celebrari solet: et quilibet presbyterorum semel sacrum faciet pro eodem; idque in ea domo tantum, in qua ille commorabatur.

De exequiis novitiorum.

§. 176. 12. Quando præterea occubuerit pater, aut mater alicujus canonici pro illorum anima in ecclesia monasterii, in quo idem canonicus ha-

De suffragiis faciendis pro parentibus canonicorum.

bitat, unum sacrum funebre cum nocturno, et responsorio in fine missæ conventualiter decantabitur, ut mos est.

De suffragiis confratrum.

§. 177. 13. Quoties denique confratrem aliquem hujus congregationis obiisse notum fuerit, si canonicorum e vita decedentium suffragiis satis fecisse constiterit, eadem officia, ac sacrificia pro ipsis recitabuntur, quæ pro canonicis recitantur, in tota congregatione, si confrater fuerit totius congregationis, aut in aliquo particulari monasterio, si tantum illius fuerit confrater.

P A R S II.

De electionibus, electorumque officiis, ac potestate.

CAPUT I.

De electionibus ordinariis.

De electionibus ordinariis.

§. 178. 1. Postquam sacrum Tridentinum concilium, experientia docente, et Spiritu Sancto inspirante declaravit electiones prælatorum regularium, debere fieri singulis quibusque trienniis, jam nullus est ambigendi locus id semper adservandum esse in hac sanctæ Crucis Collimbriensis congregatione. Quamobrem statuimus, ut finito quolibet priorum triennio, statim loco illarum, alij in eisdem monasteriis, per secreta suffragia, et observata forma sacri concilii Tridentini sess. 25. cap. 6. de regularibus eligantur. Ad has electiones ordinarias, convenient undique canonici, qui eisdem interesse debent, sive tamquam vocales, sive tamquam scrutatores, ac visitatores dumtaxat.

De visitatione electionibus præmittenda.

§. 179. 2. Sed electiones hujusmodi, semper præcedet visitatio, seu inquisitio in hunc modum: altero a vocatione prioris die observantia non impedita, universus conventus sono campanæ ad capitulum convocabitur, et post oblatum Spiritui Sancto solemne sacrificium, quo cuncti obaix Deum precentur, ut in futura actione suam illis gratiam impertiri, ac de bono pastore providere dignetur, continuo ab uno visitorum brevis admonitio, seu exhortatio, de observantia religionis fiet. Qua finita, in domum ad id constitutam visitatores recepti, munus suæ visitationis, et inquisitionis incipient; et postquam illam peregerint,

eandem secreto habentes prioris electionem aggredientur hoc modo.

§. 180. 3. Ante omnia juxta consuetudinem campanæ signum dari jubeatur; ut electores congregentur, quibuscumque universus conventus in claustrum (ubi tamquam in loco publico celebranda est electio) conveniant, statimque unus ex visitoribus, sive alius, cui commendatum fuerit, quamdam exhortationem faciet, qua de electione agat, atque etiam de ratione, quam in illa servare debent, electores erudiat; præsertim ut ea, quæ jure postulantur, nempe ætatis maturitatem, morum gravitatem, prudentiam, literarum scientiam, animi submissionem, castitatem, misericordiam diligenter in eligendis considerent.

De signo campanæ præmittendo in electionibus.

§. 181. 4. Absoluta exhortatione, cantor inchoabit hymnum » *Veni, creator Spiritus*, quo per alternantes choros dicto, electores ad electionem procedent visitoribus, qui eandem scrutari, et confirmare solent suffragiorum, seu votorum receptioni præsentibus, qui mensæ assideant in loco, ubi ab omnibus electoribus videantur, et audiantur a nemine.

De orationibus præmittendis.

§. 182. 5. Deinde a scrutatoribus oretenus adscribenda in schedulis suffragia ex ipsis electoribus, scribæ, sive notarii designabuntur: quorum singulos præses scrutini in mensa supra missale, etiam juramento coram omnibus constringat, ut nomina, quæ electores ab ipsis postulaverint, secreto contineant, et neque suum ulli proprium neque suum ipsius scribæ, nec pauciora, quam duo, nec plura, quam quatuor præbeant, quin omnia sub diversis nominibus, ac sua, non autem electorum manu subscripta, sint.

De distributione schedularum pro suffragiis.

§. 183. 6. Post scribarum nominationem idem præses ad effectum earum electionum tantummodo electores absolvet ab omnibus censuris in hanc formam » Auctoritate qua fungor, absolvo omnes canonicos, qui in hac electione vocem habent activam, vel passivam ab omni sententia excommunicationis, suspensionis, interdicti, vel irregularitatis, siquam incurrerunt, ad effectum præsentem dumtaxat.

De absoluteione a censuris super electoribus facienda.

§. 184. 7. Quæ absolutio in omnibus, et singulis electionibus per scrutinium faciendis impendetur; et finita absoluteione, in primis scribæ sua ferent suffragia; deinde scrutatores si in ipsa electione vocem habuerint activam, deinde cæteri vocales unus post alium ordine, quo sedent conijcient in capsu-

Declarationes ut supra.

lam suffragium suum, quin alii cum aliis inturbentur.

CAPUT II.

De suffragiorum forma

De forma suffragiorum.

§. 185. 1. Modus votorum, sive forma suffragiorum crit hujusmodi= Eligo in priorem hujus monasterii D. N. primum, aut secundum etc. suffragium= quod totum ad longam, et nequaquam per compendium exprimetur.

De forma, et magnitudine schedularum.

§. 186. 2. Omnes autem schedulæ, in quibus suffragia scribuntur, erunt ejusmodi magnitudinis, formæ, et coloris, quarum unam, in qua nomen canonici eligendi fuerit scriptum, elector accipiet; in longumque complicatam in urnam sivi capsulam, ad id constitutam conjiciet; alteram vero, seu alias scindet, et in scrutatorum præsentia in alteram capsulam dimittet: parique modo ita omnes complicabuntur, ut inter se nihil differre videantur.

De scrutatoribus schedularum.

§. 187. 3. Postquam ab electoribus omnes schedulæ in capsulam fuerint conjectæ, scrutatores eandem capsulam aperient, omnia suffragia recensent, et explorabunt, numerumque cum numero conferent. Si autem pars major electorum in unius merito, ac dignitate cohæreant, ipse rite, et canonice juxta sacrorum canonum dispositionem est electus, extemploque apud eosdem electores ipsum cum cæteris, qui in hac electione adepti sunt suffragia divulgabunt.

De aperitione schedularum.

§. 188. 4. Quod si prima vice electio non absolvatur, quot cuique fuerint suffragia scrutatores aperient his verbis, N. tot vota; N. tot obtinuit; et coram omnibus illa conscindent, et in capsula reponent. Idem quoque faciendum erit, quotiescumque electio non constiterit, et hoc pacto per diem totum electionem prosequantur, donec major pars suffragiorum in unum consentiant.

De renovatione scrutini.

§. 189. 5. Si tamen evenerit, ut primo die non consentiant, secundo congregentur: sin minus suffragantes adhuc eo die usque ad meridiem in unum non conveniant, scrutatores tres plura habentes suffragia promulgabunt, quibus electores sua vota conferre, et non alteri tenebuntur. Et quoties vota dederint, scrutatores numerum votorum, quæ singuli sunt adepti, declarabunt.

De electione coactiva.

§. 190. 6. Si vero nec per totum eum diem convenerint, postero die eisdem sua vota reddant. Quod si major

pars suffragantium, nec prima vice consentiat, duos plura habentes suffragia publicent, et electores unum eorum eligere teneantur. Sed si die tertio non convenerint, nec unum ex duobus, qui plura adepti sunt vota, elegerint in posterum quoad finiatur electio in rectorio solum eis dabitur panis, vinum, et aqua. Si autem scrutatores, inter tres, duosve plurimum votorum participes publicandos aliquos paribus inter se votis æquales invenerint, anteferant eos, qui fuerint antiquiores.

§. 191. 7. Attamen præfatus eligendi modus solum in electionibus priorum servabitur, nam in aliis, sive a capitulo generali, sive a definitorio, sive a conventibus fiant, non convenientibus prima, et secunda vice, seu in primo, ac secundo jactu, electoribus nominandi sunt a scrutatoribus tres plura ferentes vota, quibus tertia vice tantum suffragari debeant.

Declarationes circa electiones coactivas.

§. 192. 8. Quod si adhuc non concordaverint, duo tantum nominandi sunt plura obtinentes suffragia, quibus quarta vice suffragentur. In quarto autem scrutinio, si vota fuerint paria, antiquior in religione censebitur electus. Illi tamen duo, circa quos suffragia feruntur quarta vice ab eis ferendis abstinebunt, quamvis uterque, vel alter præsens sit, et reliquis vicibus suffragia tulissent.

De iis, qui pro electis haberi debeant.

§. 193. 9. Quod si dubium excitetur in aliquo jactu, propter quod suffragia rursus ferre necesse sit, nihilominus jactu sequenti scrutini numerus crescet, ita ut si jactus, in quo dubium ortum est, erat tertius, qui sequitur, erit quartus; si erat quartus, hic sit quintus, quamvis reapse sit quartus legitimus, cum aliquando non plura suffragia ferri possint legitime, quam quatuor, ut constat ex modo dictis.

Declarationes speciales.

§. 194. 10. Si quis autem impediendæ electionis causam, aut alio fine schedulam albam, in qua videlicet nihil sit scriptum in urnam conjiciat, ejus nulla ratio habeatur, sed alia suffragia enumerentur, et cum iis electio stabiliatur. Qui vero id efficere ausus est, eo ipso excommunicationem incurrat; ac inhabilitatem ad officium, vel officia, quorum tunc electio celebratur.

Idem ut supra

CAPUT III.

*De officialibus per scrutinium eligendis*De officialibus
eligendis.

§. 195. 1. Officiales qui per scrutinium eligi debent, sunt priores, rector, ac regens collegii Sapientie, consilarii monasteriorum, procuratores ad generale capitulum, substituti priorum, aut procuratorum, qui morte, vel alio modo inter celebrandum capitulum generale vacaverint, substituti procuratorum, qui ad idem capitulum generale non venerint, aut in eo fuerint reprobati, quinque generalis capituli, et sex ordinis definitores.

De electione
prioris s. Crucis
Collimbriensis.

§. 196. 2. Prior monasterii sancte Crucis Collimbriensis cum sit etiam totius congregationis prepositus generalis, eligendus erit ab omnibus patribus capituli generalis, et simul ab omnibus monasterii sancte Crucis habitatoribus, qui vocem habent in capitulo conventuali, capitularesque vocantur. Rector, et regens collegii Sapientie eligendi erunt sicut in tertia parte dicitur, priores, et consilarii monasteriorum, et procuratores eorumdem ad capitulum generale eligentur a capitularibus cujuslibet monasterii, qui vocem habent in capitulo conventuali, definitores tum capituli generalis, cum ordinis, et procurator generalis Ulyssipponensis, si electiones fuerint ordinarie, substituti-que procuratorum supradicti eligentur a capitulo generali, ut in quarta parte dicitur.

De exclusione
impeditorum.

§. 197. 3. Ad hæc tamen officia, nunquam eligentur, qui aliquo juris, vel istarum constitutionum impedimento laboraverint. Inter cætera vero impedimenta, quæ utroque privant suffragio, numerari debet bonæ estimationis, ac fame judicis declaratione amissio, mentisque infirmitas, aut inopia.

De exclusione
eorum, qui
alio officio fau-
guntur.

§. 198. 4. Atque illud in primis observandum est, ut nemo quamdiu uno fungitur officio, in aliud ejusdem, vel inferioris generalis eligatur. Præterea ut non reeligatur in idem vel ejusdem generis cum eo, quo functus est. Quod quidem pro consiliariis intelligendum est eadem domo; pro prioribus vero etiam in diversis; neque enim illi proximo triennio ad prioratus reassumi poterunt: eademque erit ratio de visitatoribus. Pater autem generalis sequenti sexennio a generalatu, et primo triennio ab omni vacabit officio.

§. 199. 5. Unde in prepositum generalem eligi non poterit, qui ex legitimo matrimonio non fuerit natus, et quadraginta ætatis annos adhuc non habuerit, et adhuc non fuerit, vel prior alicujus domus, vel magister emeritus, vel saltem vicarius præsidens, annorum spatium duorum, et sexennium postquam generalis fuit, nondum finierit dummodo omnes qualitates habeant probitatis, prudentiæ, et scientiæ a jure requisitas.

De electione
prepositi ge-
neralis.

§. 200. 6. In priorem cujuscumque monasterii eligi non poterit, qui non fuerit sacerdos capitularis, confessorius, et concionator; et sexdecim annos religionis nondum habuerit; et vicarii, aut visitatoris, aut procuratoris generalis Ulyssipponensis, sive Portugallensis, aut magistri novitiorum Collimbriensis, vel Mafrensis, aut magistri theologiæ munera per duo saltem annos adhuc non exercuerit, aut triginta religionis annos nondum compleverit.

De electione
prioris.

§. 201. 7. In visitatores denique, aut in procuratores generales Ulyssipponenses, aut in vicarios cujuslibet monasterii, aut in magistros novitiorum sancte Crucis, aut Mafre, eligi non poterunt, nisi canonici capitulares sacerdotes, concionatores, et confessorii, qui jam duodecim annos religionis habeant.

De electione
visitatorum.

§. 202. 8. Substitutus vero, et college patris generalis, ordinisque definitores in nulla earum electionum, quæ fiunt post capitulum generale, quarum fuerint scrutatores, habent vocem passivam. Scrutatores quoque electionis prepositi generalis, quando generalatus depositione vacaverit, in hac electione suffragium passivum non habebunt. Cæteris tamen scrutatoribus, quancumque electionum, sive in capitulo generali, sive alibi fiant ex ipso officio, ac munere scrutandi vocem passivam in eisdem habere non repugnat.

De electione
substituti pa-
tris generalis.

§. 203. 9. Sed si quis voce activa, et passiva privatus fuerit, ipso facto remanebit suspensus ab officio, in quod per scrutinium erat electus; penitentia durante tempore dimittatur, nisi ea privato ultra quadraginta dies extendatur; alioquin cum utraque voce simul amittet officium, aliusque loco illius eligetur.

De exclusione
eorum qui acti-
va, et passiva
voce privati
sunt.

§. 204. 10. Vox autem activa intelligitur non solum in electionibus, que per scrutinium celebrantur, sed

De intelligenti-
a active vo-
cis.

in omnibus etiam congregationibus, ubi res agitur per suffragia. Vox tamen passiva intelligitur solummodo in electionibus, quæ fiunt per scrutinium.

CAPUT IV.

De electorum confirmatione.

De confirma-
tione electo-
rum.

§. 205. 1. Ubi primum electio celebrata fuerit, visitatores electo, si adsit ibi, præcipient, ut in cellam se recipiat. Deinde coram omnibus assignabunt spatium duarum horarum, vel quod conveniens visum fuerit, ut electi merita, et capium discutiant. Et intra hoc tempus si qui fuerint, qui electioni obsistere, et reclamare voluerint, eos plane audient, ac simpliciter sine strepitu, et figura iudicii.

De alijs ser-
vandis in ele-
ctionibus.

§. 206. 2. Quibus auditis, si iudicaverint electum ad id muneris non esse aptum, et idoneum, aut aliquam invenerint commisisse culpam, ex contentis in capite de culpis gravioribus, vel crimen aliud propter quod voce activa, et passiva privari mereatur, electionem infirmant, procedantque ad alteram. Et toties id agant quoad electionem canonicam, juxta formam constitutionum istarum conficiant, de personaque digniori provideant. Si tamen electio fuerit patris generalis, infirmari non poterit nisi a capitulo generali causa prius fuerit cogitata, et iudicata.

De ijs, quæ
electiones sub-
sequuntur.

§. 207. 3. Transacto jam prædicto termino, si electionem canonicam; electumque ad officium idoneum esse constiterit, statim patres capituli generalis cum conventu, si electio fuerit præpositi generalis apud monasterium sanctæ Crucis celebrata, aut visitatores cum conventu, si electio fuerit prioris alterius monasterii in dormitorio congregabuntur, et ad sonitum majoris campanæ processionaliter cantantes hymnum » *Te Deum laudamus* » electum deducunt ex sua cella in chorum, ubi in sede priorum, flexis genibus, positum, absoluto hymno = *Te Deum laudamus* = et facta professione, seu protestatione fidei juxta formam concilii Tridentini, visitatores ipsam confirmabunt, eo, qui præest, sic dicente.

De formula
adhibenda in
confirmatione
electorum.

§. 208. 4. *Auxiliante Domino Salvatore Nostro Jesu Christo examinavimus processum electionis, et qualitates personæ tuæ, et quia secundum fragilitatem humanam invenimus te dignum, recte, et canonicè electum, ideo aucto-*

ritate, qua fungimur, te ab omni sententia excommunicationis, vel irregularitatis, si quam incurristi ad effectum præsentem dumtaxat absolventes, concedimus tibi munus confirmationis, et confirmamus te in priorem hujus conventus N. et præcipimus tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut suscipias hujus onus officii, et impleas ministerium tuum, potens est enim Deus, ut augeat in te gratiam suam.

§. 209. 5. Quod si confirmandus fuerit generalis, ubi dicitur = *priorem hujus conventus* = additur = *et generalem totius nostræ congregationis* = Quo peracto universi eum in suum priorem, pastoremque habeant, et manum ei deosculentur. Et hujus confirmationis fidem scriba conventus memoriarum libro mandabit, in quo nomen confirmati, diesque ipsius confirmationis explicetur; quam fidem visitatores, qui electum confirmarunt, subscribent.

Idem ut supra

§. 210. 6. Postquam vero præpositi generalis, aut priorum confirmatio sancita fuerit, nemo electioni eorum, vel confirmationi reniti, aut contradicere poterit, neque in re tali audietur. Si autem electus tali impedimento implicetur, ut ante quadagesimum diem suo munere fungi non possit, factam electionem abrogent, et alteram, ut dictum est, conficiant, nisi hocce impedimentum sit absentiae tantummodo; tunc enim si transacto termino supradicto, dignus, et idoneus iudicetur; monasterii fores de more aperientur, jussusque accersiri prædicto modo confirmabitur; sed interea temporis vicarius eligetur; et postquam fuerit per juramentum confirmatus, domum gubernabit, quousque prior electus confirmetur.

De electionibus non fraudandis.

§. 211. 7. Si tamen electus in priorem alicujus monasterii habitaverit in alia domo, quæ adhuc visitata non fuerit, scrutatores electionis antequam publicent electum, mandabunt per epistolam suam sub pœna excommunicationis prælato illius monasterii, in quo habitat electus, ut intra terminum, quem assignaverint, ipse cum duobus primis consiliariis, quorum ultimus erit secretarius, inquirent de vita, et moribus electi, quem si repererint innotatum culpis, quæ secundum jus electionem infirmant, domi relinquunt, culparumque inquisitionem a se subscriptam, clausam, et sigillatam ad scrutatores remittant; sin autem ab hujusmodi criminibus liberum invenerint,

De publicatione electionis prioris in alio monasterio de gentis.

electum ipsum statim ad locum electionis mittent, illiusque socio tradent supradictam inquisitionem, ut eam tradat scrutatoribus.

De confirmatione substitutionum.

§. 212. 8. Substitutus vero patris generalis, collegæ, definitores, et consiliarii, confirmantur absque ulla formula per solum juramentum, quod præstant de officiis suis rite exercendis; sed si forte evenerit, ut aliquis ex omnibus memoratis, canonicè electus confirmationem suæ electionis absque justa causa nolit acceptare, et officio, ad quod electus est, valde necessarius sit, eum confirmatores opportunis medijs compellent, nisi tales ad id faciendum rationes reddat, ut scrutatores, vel confirmatores sibi persuadeant non esse compellendum, aut majus inde oriri posse damnum, si compellatur.

CAPUT V.

De vacationibus, et electionibus extraordinariis.

De vacationibus, et electionibus extraordinariis.

§. 213. 1. Quoniam prædicta officia, vel morte, vel renuntiatione, vel dispositione officialium, vel similibus modis vacare possunt, quid tunc fieri debet, hic explicemus oportet. Si ergo vacaverit generalatus quocumque ex prædictis modis ultra septem menses ante capitulum generale, substitutus ejusdem patris generalis, tenebitur in virtute sanctæ obedientiæ statim prima, vel secunda vacationis die certos facere priores congregationis, aliosque canonicos, qui ex privilegio capitulo generali interesse possunt, ut sine procuratoribus monasteriorum intra quindecim dies a vacatione in monasterio sanctæ Crucis congregentur, iidemque priores sub eodem præcepto intra præfixum diem tenebuntur advenire, nec poterunt non venire, nec adventum retardare.

De inquisitione criminum.

§. 214. 2. Postquam fuerint hi omnes congregati, præsentate priore regalis monasterii Mafrensis, constitutisque tribus visitoribus, qui de iis tantummodo criminibus, ob quæ jus suffragii amittitur, inquirent, et cognoscant, eligetur, et confirmabitur præpositus generalis totius congregationis, eadem ratione, ac forma, quam in electionibus, et vacationibus ordinariis, eligi, confirmarique solet. Sic autem electus, et confirmatus, verus erit prior monasterii sanctæ Crucis, cancellarius universitatis, et totius congregationis genera-

lis, eandem habebit jurisdictionem, ac potestatem, eisdem gaudebit honoribus, et privilegiis, eademque sexennii, et alia quæcumque sustinebit onera, ac si ordinarie in principio triennii fuerit electus.

§. 215. 3. Si tamen ea vacatio contingat intra septem menses ante capitulum generale, toto eo tempore usque ad novam electionem a capitulo generali faciendam, vicarius monasterii sanctæ Crucis domum gubernabit, eritque vicarius præsidens, cancellarius universitatis, et vice prælatus in territorio exempto ejusdem monasterii.

De gubernio monasterii tempore vacationis.

§. 216. 4. Congregationem vero urgent, ac gubernabunt usque ad dominicam secundam post pascham, substitutus, et collegæ patris generalis, illius quippe locum tenebit substitutus, qui quidem exinde appellabitur substitutus generalis; nullam tamen habebit, aut dignitatem, aut jurisdictionem, aut potestatem in monasterio sanctæ Crucis, vel ipsius exempto; sed tantummodo jurisdictionem habebit simul cum collegis respectu congregationis, ut eidem provideant, si forte providere opus fuerit in aliquo eventu, qui contingere possit, usque ad capitulum generale tempore consueto celebrandum, in quo etiam non substitutus, sed prior domus antiquioris præsidere debet.

Idem ut supra

§. 217. 5. Si quoque vacaverit prioratus alicujus monasterii, ultra septem menses ante capitulum generale, statim pater generalis, et collegæ in virtute sanctæ obedientiæ tenebuntur intra quindecim dies a vacatione præsentate esse in monasterio vacante, ut per electionem a conventualibus ejusdem monasterii faciendam supradicto modo alius prior substituat.

Alia similes declarationes.

§. 218. 6. Si tamen accidat hæc vacatio, intra septem menses ante capitulum generale, vicarius monasterii toto eo tempore domum gubernabit, venietque ad capitulum generale, et sedebit loco sui prioris: quamquam in capitulo generali præsidere non debeat, cum præsentate ad priorem domus antiquioris devolvatur.

Idem ut supra

§. 219. 7. Eunte autem vicario ad capitulum generale ob vacationem prioratus, magister novitiorum interim monasterii curam geret, proptereaque in capitulo procuratorem eligi non poterit. Idem quoque fiet respectu rectoris collegii Sapientiæ, sicut de prioribus extraordinarie vacantibus dictum est.

Idem ut supra

§. 220. 8. Verum qui substituitur, loco vacantis prioris, si per duos

Idem ut supra

integros annos officia possideant, triennio sequenti eisdem legibus tenebuntur, quoad carentiam vocis passivæ in nonnullis electionibus, quibus tenentur alii priores, qui toto triennio gubernarunt. Si tamen prælaturam minus biennio exercuerint, ad quemcumque prioratum, et ad quævis alia officia assumi poterunt. Eademque ratio erit de illo, qui in locum vacantis rectoris sufficitur.

Idem ut supra

§. 221. 9. Si autem vacaverit aliquis consiliarius in aliquo monasterio, novi constitutio, seu electio pertinet ad capitulares ejusdem monasterii accolæ præsentibus receptioni votorum in monasterio sanctæ Crucis patre generali, et collegis; in aliis vero monasteriis priore, ac duobus immediatis consiliariis; nisi forte ibi adsint pater generalis, et collegæ, tunc enim ipsi erunt scrutatores hujus electionis. Eodem modo si vacaverit procurator generalis Ulyssipponensis, vel Portugallensis, loco illius pater generalis cum substituto, et collegis alium constituent absque scrutinio.

Idem ut supra

§. 222. 10. Si patris generalis substitutus, aut aliquis ex collegis, vel ex definitivis ordinis similiter vacaverit, novi electio pertinebit ad capitulares habitatores monasterii, in quo degebunt vacantes præsentibus receptioni suffragiorum, in monasterio sanctæ Crucis, patre generali, et utroque collega, vel substituto; in reliquis vero monasteriis, priore, ac duobus visitatoribus sanctæ Crucis, si vero isti absint, duobus immediatis consiliariis.

Idem ut supra

§. 223. 11. Denique idem faciendum erit, si præfati officiales non vacent omnino, sed instante tempore aliquis visitationis ita sint impediti, ut eam obire nequeant, et alium eligere oporteat, quamquam, sublato impedimento, officia rursus sua exercere possint, ac debeant. Hujusmodi vero electi approbatio, seu confirmatio ad ejusdem electionis scrutatores pertinebit.

De exclusionem ab officiis.

§. 224. 12. Qui autem loco visitatorum vacantium, vel impeditorum sufficiuntur, si re ipsa visitationem aliquam exequantur, in eadem officia sequenti triennio reelegi non poterunt, ut neque ipsi visitatores. Illud etiam ignorandum non est eum, qui loco primi collegæ substituitur, re ipsa manere secundum, cum alius jam sit electione prior: substitutus tamen quamvis extraordinarie eligatur, semper collegas præcedere.

De vocandis ad electiones

§. 225. 13. Secundum est proinde, quoad electiones priorum extraordi-

narias vocari debent absentes, si fuerint in loco, ex quo extra quindecim dies accersiri, ac venire possint. Ad electionem vero prioris, quæ extraordinarie non fit, vel ad aliquod aliud, quod agi debeat, non vocabuntur. Quod si vocati non venerint præfatum quindecim dierum spatium, electio absque ipsis celebrabitur.

extraordinarias.

CAPUT VI.

De officio ac potestate præpositi generalis

§. 226. 1. Consentaneum est rationi, omniumque ordinum consuetudini, ut unus sit in qualibet congregatione superior, qui cæteros dirigendi, cogendique jurisdictione polleat. Ideo statui- mus, ut in hac sanctæ Crucis congregatione unus sit præpositus generalis, qui simul cum collegis suis supra omnes congregationis alumnos, spiritualem, temporalemque jurisdictionem habeat.

De officio, ac potestate præpositi generalis.

§. 227. 2. Hic autem erit prior monasterii sanctæ Crucis, quem capitulum generale simul cum canonicis in eodem monasterio habitantibus, et in capitulo conventuali voce gaudentibus elegerint, tempore, modo, et forma supradictis; quippe cum sanctæ Crucis monasterium sit in medio regni situm, aptius videtur, ut in eo conveniant priores capitula generalia celebraturi, cæterique religiosi quamcumque necessitatem habentes, ad illud recurrant.

De electione præpositi.

§. 228. 3. Idem præpositus generalis generalatum, prioratumque geret, ac exercebit per triennium ferme a die confirmationis suæ, et vacabit semper ab utroque officio in dominica secunda post pascha, in qua cantatur evangelium = *Ego sum pastor bonus* = in ipso scilicet puncto mediæ noctis, quo prædicta dominica terminatur; statimque feria secunda sequenti, nisi dies fuerit irapedita, capitulum generale inchoabitur.

De diversis ejus officiis.

§. 229. 4. Si autem contigerit aliquando, ut quacumque de causa celebratio capituli generalis eo tempore impediatur, semper idem præpositus generalis vacabit ab utroque officio in prædicta dominica, sed ne congregatio in eo eventu absque superiore, et monasterium sanctæ Crucis absque gubernatore remaneat, deinceps usque ad capituli generalis celebrationem, vicarius ejusdem monasterii domum, substitutus vero generalis cum collegis, congregationem gubernabunt, sicut quando

De ejus vicariominando

generalatus vacat intra septem menses ante capitulum generale, ut præcedenti capite dictum est.

De cura, et gubernio monasterii ab eodem habenda,

§. 230. 5. Postquam vero idem generalis fuerit electus, et confirmatus, totius congregationis curam, regimenque suscipiet, atque ipsius visitator, morumque reformator evadet. Hanc tamen potestatem, et jurisdictionem, qua pollet, ut totius congregationis caput, tantummodo habebit cum collegis suis; nec illam valebit alteri committere, ac delegare, nisi substituto, excepto casu, quo aliquem apostatam, sive fugitivum absentem, a censuris absolvere opus sit.

De visitatione monasterii ab eo facienda.

§. 231. 6. Ad patrem generalem simul cum collegis suis spectat cætera monasteria modo, ac tempore infra dicendis visitare, priorum, et consiliariorum electiones ordinarias scrutari, electosque confirmare idoneos; hanc tamen confirmationem nunquam poterit, nisi aliquo juris, vel harum constitutionum impedimento electi fuerint innotati, denegare.

De electionibus officialium extraordinariis

§. 232. 7. Electiones quoque extraordinarias officialium, qui per scrutinium eligentur, scrutabitur, si forte aliquando fuerit in domo, ubi aliquod ex iis officiis vacare contigerit, dummodo eligendus non sit visitator monasterii sanctæ Crucis. Si quoque alicujus consilarii, eo absente, electio fuerit celebrata, ipsam examinare, et approbare, electumque, si alterius domus incola fuerit, accersire, vel transferre ad eundem pertinet.

De jurisdictione præpositi generalis.

§. 233. 8. Ad ipsum præterea cum collegis suis spectat judicare, ac decernere de quocumque gravamine, aut crimine, aut necessitate aliorum congregationis monasteriorum, etiam a nullo ipsorum conventuum, aut particulari persona requisitus, dummodo rei gravitas id poseat.

De consensu capituli generalis in impetratione Brevis apostolicorum.

§. 234. 9. Nullum tamen Breve, quod commune totius congregationis gubernium concernat, etiam a Sede apostolica impetrare valebit absque capituli generalis consensu, sicut in Brevis ab Alexandro VII. eidem congregationi concessio, præscribitur.

De aliis privilegiis capituli generalis.

§. 235. 10. Nec etiam poterit de iis rebus decernere, aut dispensare, quæ in his constitutionibus generali capitulo commissæ sunt, nec quidquam in definitionibus, ordinationibus, et constitutionibus immutare, aut dispensare, neque aliquas de novo concedere, quæ ad communem statum congregationis pertineant. Poterit tamen

præceptum aliquod, vel mandatum commune in totam congregationem ferre, si causa gravis id postulet; vigilabitque supra prælatos monasteriorum adhuc extra visitationem, ne negligentia eorum constitutiones, et regula non observentur.

§. 236. 11. Cum vero in aliqua definitione, aut decreto generalis capituli dubitatio inciderit, eam quidem, non ex se tantum, sed adhibito quinque canonicorum consilio, qui proxime præterito adfuere capitulo, explicabit quos, si absentes fuerint, per literas consulat, illorumque sequetur consilium, alioquin nihil ejus valebit explicatio.

§. 237. 12. Nec etiam iis se rebus immiscere, etiam dum visitat, poterit, quas suis in conventibus quoad temporalia suorum monasteriorum commoda priores constituunt: neque de hære, etiam absente priore, habere capitulum, neque suffragia accipere: neque domum quoad supplicarum expeditionem gubernare: neque quidquam procuratori, aliisque officialibus præcipere: neque aliud quidpiam efficere, quod ad domum illam regendam, vel administrandam pertineat. Si quid autem necessarium, aut conveniens fuerit rerum etiam temporalium respectu, id priori faciendum præcipient, scriptoque mandabunt, vim nullam alioquin habiturum.

§. 238. 13. Nullam quoque potestatem habebit corrigendi, visitandi, vel puniendi substitutum, aut collegas, aut definidores. Hi enim si deliquerint circa officia sua, corrigendi sunt tantummodo a capitulo generali: si vero delicta fuerint personalia, substitutus, et collegæ corripientur a vicario, et consiliariis monasterii sanctæ Crucis: definidores autem a priore, et consiliariis illius monasterii, in quo habitaverint.

§. 239. 14. Quia etiam patrem generalem monitum volumus, ne concessa sibi potestate abutendo, modum excedat, sed magno cum zelo religionis, leges, constitutiones, regulam, et vota observare faciat; cunctis observantiæ clausuræ, ac regularitatis in exemplum sit, choro, et cæteris communitatis actibus, quantum potest, intersit; residentiamque in monasterio sanctæ Crucis apprime servet, ad eam quippe tenentur non solum, quia prior est illius monasterii, territoriique exempti prælati, sed etiam, quia totius congregationis præpositus est generalis, ut ibidem residens facilius providere possit, cunctis ad eum recurrentibus. Si autem

Idem ut supra

Idem ut supra

Exceptiones, et declarationes super eadem materia.

Monitum ad patrem generalem.

ab hujusmodi loco residentiae sine urgentissima causa abfuerit, visitatores in eum severe animadvertant tanquam priorem.

Aliud ut supra

§. 240. 15. Cæterum quoad sanctæ Crucis monasterium, cujus est prior, se geret, illudque sicut alii priores monasteriorum ejusdem congregationis administrabit. Et quoad prioratus officium ad eum modum, quo prædicti priores, visitabitur, emendabitur, punietur, deponique poterit ab officio, sicut infra dicetur.

Idem ut supra

§. 241. 16. Ad eum denique spectat literas sodalitatæ de communicatione fructuum spiritualium quibuscumque sibi placuerit erogare.

Idem ut supra

§. 242. 17. Quod si pater generalis justa aliqua de causa officium dimittere, sive renuntiare voluerit, id efficere non poterit absque definitorii, et conventus sanctæ Crucis consensu.

CAPUT VII.

De officio, et potestate substituti, collegarum, ac definitorum.

De officio substituti.

§. 243. 1. Cum generalis ad exequenda generalatus officia possit aliquando infirmitate, aut alio quocumque modo impediri; statuimus ut a capitulo generali per secreta suffragia eligatur aliquis ex tota congregatione canonicus, in ejusdem patris generalis substitutum. Hic autem substitutus, vel ordinarie, vel extraordinarie sit electus, primum semper habeat locum post generalem ante collegas, ac definitores ubicumque fuerint congregati.

De potestate substituti.

§. 244. 2. Ad eundem substitutum pertinet interesse definitorio, sicut cæteri conjudices: eidem præsidere cum abest pater generalis: vices agere, et locum tenere, patris generalis, quavis de causa impediti, vel ad electiones scrutandas, vel ad visitationes faciendas, vel quamlibet rem aliam, necessitate urgente, aut tempore iustante peragendam; tandemque loco ejusdem patris generalis congregationem regere quoties generalatus vacaverit, intra septem menses ante capitulum generale, vel capituli generalis celebratio impediri contigerit, sicut præcedenti capitulo fuit statutum.

De officio collegarum.

§. 245. 3. Collegæ sunt canonici duo per scrutinium a capitulo generali ex tota congregatione electi, ut simul cum præposito generali quoddam tribunal constituent, congregationemque re-

gant. Hi parem generali potestatem habebunt in omnibus, quæ ad officium spectant generalatus, eisque pater generalis tenetur proponere quidquid ab eo tanquam generali agendum fuerit, atque illorum suffragia sequi, si ambo consenserint, si vero dissenserint, illa pars vincet, cui accesserit generalis suffragium.

De potestate collegarum.

§. 246. 4. Ad eosdem collegas pertinet simul cum generali supradictas electiones priorum, et consiliariorum scrutari; electos approbare, et confirmare; visitationes quascumque monasteriorum conficere; de quocumque gravamine per appellationem, vel recursum ad ipsos delato decernere; definitorio interesse; et circa omnia, quæ ipsis a generali fuerint proposita, definitivam sententiam ferre. Horum tamen alterutrum pater generalis prima vice, qua fuerint congregati seliget in secretarium, ut ea scribat, quæ ab ipso cum eisdem collegis fuerint ordinata. Iidem vero præcedent semper definitores, a quibus nunquam visitabuntur, sicut etiam substitutus.

§. 247. 5. Definitores quoque sunt tres canonici a capitulo generali per scrutinium ex tota congregatione electi ut monasterium sanctæ Crucis in medio triennii visitent; namque in fine triennii fit visitatio ad capitulum pertinebit generale; et ad illos visitatores alios, qui in eo eliguntur.

De numero, et officio definitorum.

§. 248. 6. Licet autem hi definitores ex tota congregatione sumi possint, tamen postquam ad hujusmodi munus electi sunt, in monasterio sanctæ Crucis, nec omnes tres, immo nec duo simul habitabunt; sed in suæ habitationis locum omnes tres simul alterum eligent monasterium.

De monasterio ab eis eligendo.

§. 249. 7. Habent ergo potestatem culpas puniendi, et eorum quoque est ea, quæ reformatione indigent in monasterio sanctæ Crucis reformandi. Eam tamen potestatem aliis demandare non possunt. Si dubium aliquod circa literas, seu instrumenta visitationis oritur, durante officii sui tempore, ab iisdem declarari, mutari, ac temperari potest, si id expedire judicaverint.

De eorum potestate.

§. 250. 8. Nullatenus tamen se ingerent, neque visitatores sanctæ Crucis, neque aliorum monasteriorum in negotiis, ac rebus temporalibus, de quibus conventus in capitulo aliquid decreverint, nisi ea decreta juri, constitutionibus, vel definitionibus capituli generalis sint contraria. Cavebunt præterea

Declarationes circa eorum potestatem.

diligenter ne se ad audiendas confessiones eorum, qui in domibus, quas visitant commorantur, intromittant.

De visitationibus prohibitis

§. 251. 9. Visitatores præterquam quod tenentur sub maximo secreto suarum visitationum negotia servare, debent etiam propriam ipsarum inquisitionem, et processum custodire. Quapropter antiquior ex visitatoribus monasterii sanctæ Crucis adfert secum ultima suffragia, seu schedulas electionum, quas publicarunt, quarumque scrutatores extiterunt; servabuntur autem hæ schedulæ, et quæcumque aliæ scripturæ ad eandem rem attinentes in quadam area tribus clavibus reserata, quarum quamlibet habebunt tres visitatores usque ad capitulum generale, ad quod eadem acta deferant, et in ejus scrinio reponentur, ut aliquo postulante, seu requirente, aperiantur. Quod si nullus aperiri postulaverit, capitulum generale, ea ita clausa, et sigillata, comburi jubebit. Neque aliquis sub excommunicationis pœna illa aperire præsumat. Neque etiam visitatores deinceps poterunt ab ullo accusari ob culpas, quas in prædictis visitationibus, vel electionibus admiserunt.

Idem ut supra

§. 252. 10. Idem definitores durante officii sui tempore, se invicem non visitant, nisi priorem sanctæ Crucis in medio triennii.

Idem ut supra

§. 253. 11. Ipse tamen visitatores alios non visitabit. Quod siquæ culpæ ipsorum visitorum fuerint, aliis visitoribus, dum visitant, denuntiatur, earum punitiones ad priorem, et consiliarios ejusdem domus remittent; qui antequam visitatores recedant, de iis decernent.

Declaratio.

§. 254. 12. Cæterum hoc intelligendum est, nisi eæ culpæ sint a visitoribus in suorum munerum administratione commissæ; nam hæ ad capitulum generale remittendæ sunt.

Alia ut supra.

§. 255. 13. Si denique substitutus vel aliquis ex collegis, et definitoribus officio voluerint renuntiare, ad capitulum monasterii, in quo degit, pertinet renuntiationem acceptare. Priusquam tamen id conventui proponatur, patris generalis simul cum collegis erit causas renuntiationis examinare, discutere, et approbare, aut reprobare; si renuntians sit substitutus, vel patris generalis simul cum substituto, et altero collega, si renuntians sit collega; si vero renuntians sit aliquis ex definitoribus, ad priorem domus in qua degit, simul cum duobus aliis definitoribus pertinebit easdem renuntiationis causas perpendere, et approbare, aut reprobare.

CAPUT VIII.

De officio, ac potestate monasteriorum priorum

§. 256. 1. Unicuique præfatæ congregationis monasterio unus erit prælatus localis, sive prior electus, et confirmatus modo, ac forma supradictis; qui quidem prioratum accipiet, tenebitque per triennium ferme a die confirmationis usque ad mediam noctem illius diei, quo pater generalis, et collegæ ad unumquodque monasterium visitationem, ac novam electionem celebraturi accesserint.

De officio, et potestate priorum monasteriorum.

§. 257. 2. Priores autem sic electi, et confirmati ordinariam habebunt in omnes subditos ubicumque fuerint, jurisdictionem, ac potestatem; eos, cum opus fuerit, prudenter, ac juste admonebunt, punient, increpabunt, ut leges, constitutiones, et vota observent: ipsos in qualibet tribulatione, aut infirmitate positos consolabuntur, et confortabunt: eisdem semper de cunctis ad victum, et vestitum necessariis providebunt; monasteriaque sibi credita, in spiritualibus, et temporalibus secundum juris, et prudentiæ regulas gubernabunt.

De eorum jurisdictione.

§. 258. 3. Curabunt præcipue, ut choro, missis, anniversariis, atque cæteris obligationibus monasterii plenè satisfiat; officialesque subalterni munera sua diligenter compleant. Ecclesiis monasterio annexis sufficienter juxta morem, de ornamentis, vasisque sacris providebunt, et hujus rei curam habebunt specialem. Quotannis simul cum camerario singulas religiosorum cellas scrutabuntur, ut quæ desint suppleantur, et quæ non decent, auferantur. Omnibus communitatis actibus, quantum fieri potest semper aderunt, ut subditis in exemplum sint regularitatis. Residentiam in clastro striete servabunt, nec illis extra monasterium pernoctare licebit, nisi tantum in casibus 1. parte cap. de clausura assignatis.

De eorum muneribus.

§. 259. 4. Conciones, quæ in ecclesia monasterii fieri solent, unoquoque anno per concionatores distribuunt. Præcipuas ecclesiæ solemnitates ipsi ad altare celebrabunt capitulo veniarum, sive nunquam deerunt nisi legitime impediatur. Consiliarios frequenter in consilium rerum gerendarum accersent. Capitulum conventuale circa bonorum, reddituum, et negotiorum administrationem, quoties opus fuerit, et quoties a majore parte communitatis fuerint re-

De distributione concionum.

quisiti, convocabunt, ibique proponent cuncta ad hujusmodi administrationem pertinentia.

De visitatione officinarum.

§. 260. 5. Officinas cunctorum officialium, sæpe visitabunt, ac inspicient. Famulos, qui ecclesiæ, sacristiæ, sacellis, conventuique ministrent, sicut etiam servitores, qui colinæ, inferioribusque serviant ministeriis, mercede conducent, et cum opus fuerit, foras eicient. Cavebunt tamen a conducendis in hujusmodi famulatio, qui ob defectum, vel ætatis, vel morum, vel indolis, vel similibus ad id muneris non fuerint apti, alioquin priori in culpam dabitur.

De administratione ab ipsis agenda.

§. 261. 6. Tenebuntur quoque omnia onera, ac debita ordinaria monasterii annuatim solvere, tempore suorum prioratum non expendere plures redditus, quam habeat monasteria: ex bonis monasterii etiam in eleemosynas quotidie non erogare præter unum aureum absque facultate capituli conventualis, exceptis tantum eleemosynis consuetis; et nihil in emphiteusim dare, vel de bonis emphyteuticis disponere, vel quocumque alio modo alienare, sine prædicta capituli facultate, cæterisque juris solemnitatibus.

De litibus ab ipsis cognoscendis.

§. 262. 7. Non valebunt præterea litem ullam circa materiam, quæ valorem septuaginta aureorum excedat, movere, neque opus quodcumque præfatam aureorum quantitatem superans conficere, neque similem pecuniæ summam ex bonis communibus mutuo dare, vel accipere, neque bona, fructus, census, decimas, et alia prædicti valoris locare, quin prius id in capitulo proponant conventui, majoremque votorum numerum sequantur. Cum autem valor cujuslibet ex dictis, summam viginti aureorum superaverit, quotusque ad septuaginta perveniat aureos, sequi tenebuntur consiliariorum suffragia. Qui secus fecerint, acriter puniantur.

De renuntiatione ab ipsis emittenda.

§. 263. 8. Si denique prior aliquis voluerit officio cedere, ac renuntiare, id numquam faciet, absque præpositi generalis, et collegarum licentia, atque consensu conventus illius, cujus est prior.

CAPUT IX.

De officio, ac potestate consiliariorum

De officio consiliariorum.

§. 264. 1. Quoniam priores, licet probri, ac diligentes sint, viris doctis, ac prudentibus indigent, qui eos adjuvent, ipsis consilium præbeant, eo-

rumque vices, cum opus fuerit, agant: decernimus, ut in quolibet monasterio statim post prioris confirmationem quatuor sacerdotes insignes prudentia, qui ejusdem prioris sint consilarii, a majori capitularium parte per secreta suffragia eligantur, visitoribus ipsis, qui priorem confirmarunt, electioni assistentibus.

De eorum distributione.

§. 265. 2. Horum primus erit vicarius, secundus magister scholæ novitiorum, tertius ostiarius major, quartus procurator monasterii. Ab his autem prima vice, qua in consilium sunt congregati, exiget prior juramentum servandi secretum de illis, quæ in consilio fuerint tractata, modo talia sint, quæ id postulent, vel prælatus impetret. Quod quidem juramentum præstat etiam cujuslibet ex consiliariis substituti.

De eorum tribunali.

§. 266. 3. Porro consilarii, jam electi, et approbati, atque juramento explendi munera sua confirmati, quoddam simul cum priore constituunt tribunal, quod consilium, sive *consiliatura* vocatur. In hoc autem consilio votum habebunt definitivum prior, et consilarii circa omnia, quæ ibidem fuerint proposita, discussa, et judicata: prioresque tenebuntur exequi omnia, quæ a majori parte consilii fuerint ordinata.

De eorum jurisdictione.

§. 267. 4. Proponuntur vero, ibique judicabuntur, ac decernentur novitorum examina, et inquisitiones; sed at tamen ante receptionem novitorum ipsa examina, et inquisitiones generali remittantur, et absque ejus approbatione nullus recipiatur, ut dictum remanet p. 1. cap. 2. §. 2. Proponuntur quoque, ibique judicabuntur religiosorum ob crimina jam memorata, correctiones, et punitiones: officialium subalternorum electiones: administratorum villarum nominationes: emphyteutarum ad hypothecam in bonis emphyteuticis constituendam supplicationes: ecclesiarum, seu beneficiorum præsentationes, nisi longa consuetudine ad solum priorem, vel ad totum conventus, sive monasterii capitulum spectent, pecuniarum, et rerum in quolibet monasterii officina acceptarum, et expensarum rationes. Et cætera hujusmodi, quæ in his constitutionibus priori cum iisdem consiliariis committuntur; et omnia, quæ in consilio discussa fuerint, ac decreta scribentur ab ostiario majori in quodam libro ad id destinato, et apud ipsum custodito.

§. 268. 5. Consilarii quoque, absente priore, loco illius præerunt in qui-

De eorum præsentia adhi-

hends in singulari actis. **buslibet** communitatis actibus, primum vicarius, deinde cæteri ordine supradicto; omnibus vero absentibus, præerit hebdomadarius, etiam cum domi fuerit prior; si enim a monasterio sit absens, servabitur, quod in capite de officio vicarii dicitur.

De eorum suspensione. §. 269. 6. Nullus autem consiliariorum prioris tantum auctoritate deponi, suspendi ab officio poterit, neque ipse illo se abdicare, priusquam ab omnibus capitularibus coram priore in capitulo causa expendatur; tunc enim si majoris partis sententia consiliariorum quempiam, aut omnes simul deponendos, vel suspendendos esse ab officio, vel renuntiationem admittendam esse decreverint, ita fiet, eoque in posterum non fuigentur. Quo in casu alius, aut alii modo supradicto a conventu eligentur; cui electioni præerit pater generalis, si præsens fuerit; eo vero absente, servabitur, quod jam dictum manet.

De nominatione ab ipsis faciendâ ad munera subeunda in monasteriis. §. 270. 7. Quoties vero prior a monasterio discesserit, aut quemquam ex consiliariis ab eodem abesse, aut ita impediri contigerit, ut per dies aliquot munus suum obire non valeat, prior cum aliis consiliariis, alium, vel alios non privatos activa, et passiva voce nominabit, qui absentium vices substituant; ita ut consilarii semper quatuor existant. Qui vero in hunc modum fuerint nominati, vices absentium in omnibus substituent: non tamen præerunt in actibus communitatis. Consilarii demum in officio permanebant, quousque novus eligatur, et confirmetur prior per electionem ordinariam.

CAPUT X.

De officio vicarii

De officio vicarii. §. 271. 1. In vicarium cujuslibet monasterii eligetur tantummodo canonicus ille, qui non solum prudentiam, et qualitates supra requisitas habuerit, sed etiam majorem communitatum partem sequi valeat. Hic enim primum semper habet locum post priorem in quocumque communitatis actu, et prioris absentis vices gerit in omnibus, ut de re quacumque necessaria provideat, prout idem prior efficeret, si præsens esset.

De ejus jurisdictione. §. 272. 2. Unde si priorem monasterio abesse contigerit, universam illius domus potestatem tam in spiritualibus, quam in temporalibus exercebit perinde, ac ipse proprius prior, si ad-

Bull. Rom. Tom. VII.

set, exceptis tantum aliquibus casibus a priore, justa de causa, sibi ipsis reservatis, antequam e monasterio egrediatur. Omnem itidem jurisdictionem canonicam, et legitimam, quam prior ipse suis habebat in ecclesiis, atque parochiis quoad forum internum, et externum obtinebit.

§. 273. 3. Dum autem prior ita est absens, non potest vicarius a monasterio extra illud dormiturus discedere nisi de licentia conventus, quam iste solummodo ad paucos dies, et ob negotium aliquod grave concedet. Et cum prior a monasterio eadem die reversurus abscesserit, interea temporis, qui loco illius præest, non mutabit, nec dispensabit quidquam a priore in rebus constitutis; nec rem aliquam de bonis temporalibus conventui proponet, nisi urgens cogat necessitas.

§. 274. 4. Nec etiam fas erit vicario de culpis inquirere admissis, antequam domo discessisset prior; qui cum redierit, vicarium, si quid se absente personaliter deliquisse compererit, reprehendet, puniet.

§. 275. 5. Ad vicarium tamen pertinet quamvis in monasterio prior adsit, hebdomadæ officia distribuere, ac scribere in tabula, quæ *Pauta* solet nuncupari, ut in capitulo sabbathi legatur. Quia etiam priore infirmitate, aut aliter impedito, vicarius efficere, ac ordinare valebit ea, quæ ab eo sibi fuerint commissa.

§. 276. 6. Ejusdem quoque est non solum curare, ut officia divina suo ordine, et absque syncopis dicantur; sed etiam assignare, quæ ad mensam in refectorio legenda sunt, nempe regulam m. p. Augustini feria secunda, cuiuslibet septimanæ, homilias super evangelium diebus dominicis, constitutiones ordinis duabus saltem vicibus quolibet anno, scripturam sacram, vitam Christi, aut sanctorum, et alia hujusmodi.

§. 277. 7. Cæterum absente priore, ac vicario, vices ejus tenet consiliarius secundus, et inde usque ad ultimum successive; omnibus vero absentibus, præerit hebdomadarius.

CAPUT XI.

De officio magistri scholæ novitiorum.

§. 278. 1. In magistrum novitiorum his eligetur canonicus, in quo cum vitæ sanctitate docendi peritia, et cum auctoritate, et gravitate comitas,

De vetita dormitione extra monasterium.

De ejus potestate super inquisitione culparum.

De distributione officiorum ab eo faciendâ.

De distributione mensarum ab eo faciendâ.

Declaratio specialis.

De officio magistri scholæ novitiorum.

et mansuetudo reperiantur, ut tanto muneri recte gerendo par esse possit.

De officio magistri.

§. 279. 2. Et quoniam magister semper, quoad fieri potest, comitari debet novitios, ad hoc munus assumi non poterunt canonici, qui choro, et cæteris communitatis actibus interesse ordinarie nequeant. Et ob eandem causam magister novitiorum sanctæ Crucis, vel Mastræ, vel similium confessionibus sæcularium audiendis frequenter non implicabitur, neque in substitutum patris generalis, aut collegam, aut ordinis definitorem eligi poterit.

Idem ut supra.

§. 280. 3. Ei autem præcipue incumbit novitios diligenter instruere de iis, quæ ad institutum, mores, et ordinis cæremonias pertinent, eosque ad omne genus virtutum recte instituere, ac erudire. Illos propterea observare faciet omnia, quæ in capite *de novitiorum schola* præscripta sunt: studebitque intimos eorum sensus, et effectus internoscere, quod quidem ad eos recte instituendos ei magno erit præsidio.

Idem ut supra.

§. 281. 4. Cavebit maxime ne unquam sint otiosi, et liberam colloquendi inter se consuetudinem, aut solutam quamdam familiaritatem præsertim cum professio minime permittet, quin potius magnam decentiam, urbanitatem, et honestatem secum invicem observare compellet.

Idem ut supra.

§. 282. 5. Curabit præterea, ut regulam memoriæ mandent, illisque explicabit quænam in illa sint substantialia, quænam accidentalia, quæ cum violantur reatum culpæ mortalis, quæ venialis, vel etiam nullum inducunt. Et cum erraverint, sive deliquerint, eos placide, ac leniter increpabit, aliquando tamen eis pœnitentias imponet, etiam nulla præcedente culpa, probationis causa.

De juramento præbendo super relevationibus faciendis.

§. 283. 6. Capitulum veniarum unaquaque saltem hebdomada ipsis faciet: ab eisque in primo capitulo, cui adfuerint, post habitus receptionem, juramentum exiget, quo se obligent ad nullo unquam tempore; et si non profiteantur res honorem totius religionis, vel alicujus religiosi particularis spectantes aliis personis extra congregationem existentibus revelandas. Quod quidem juramentum libro ad id destinato scribetur, et ab eodem jurante subsignabitur.

De visita domus cellularum ab eis facienda.

§. 284. 7. Operam quoque dabit, ne ipsis aliquid ex necessariis desit: eorum cubacula frequenter inviset, eisdem semper invigilabit: ac ideo cellam habebit

in eodem novitiorum dormitorio, quod noctu semper claudetur.

§. 285. 8. Verum idem magister non ita circa novitios occupabitur, ut professos, qui in eadem versantur schola, ad partem sollicitudinis suæ pertinere non meminerit. Quin immo circa istos præcipue debet invigilare, tum quia non minus laudabile est quæsitâ diligenter tueri, quam quærere; tum etiam quia quælibet labes in novis professis periculosior, ac perniciosior est, quam in novitiis.

De modo agendi cum novitiis.

§. 286. 9. Quapropter maximam debet curam adhibere, ut novi professi non solum doctrinam, disciplinamque anno probationis hanc tam firmiter conservent, sed etiam in religione, ac virtute in dies proficere studeant; et hujus rei gratia eos, cum opus fuerit, intra, et extra capitulum admonebit, corripiet, puniet, et omnia, quæ in prædicto capite de novitiorum schola ordinata sunt, adamussim observare faciat.

Idem ut supra.

CAPUT. XII.

De officio ostiarii majoris.

§. 287. 1. Ad ostiarium majorem præter consilarii munus pertinet claves habere januarum ecclesiæ, et omnium illarum, quibus ad monasterium ingredi, vel e monasterio egredi quicumque solent (excepta ejus, qua ingrediuntur currus, hanc enim habebit procurator) easdemque aperire, et claudere temporibus suis, et ipsas noctu priori tradere, vel cui prior mandaverit.

De officio ostiarii majoris.

§. 288. 2. Ejusdem est claves primo mane repetere, et ubi ad primam pulsatum fuerit, cum fratre, aut famulo sibi a consiliariis assignato aperire fores ecclesiæ, deinde claves ecclesiæ relinquet majori sacristæ, ut ecclesiam aperiat, claudatque interdiu temporibus consuetis: et in initio noctis post clausam ecclesiam, eas iterum ad priorem deferat.

De custodia clavium ab ipso habenda.

§. 289. 3. Claves autem januæ, per quam ingrediuntur currus relinquentur converso, aut famulo ad id muneris per consiliarios destinato: qui quidem semper ibi debet permanere, ut eam custodiat, aperiatque quoties opus fuerit, sed illico in noctis principio eam claudet; et statim ac hora undecima sonuerit (usque tunc enim claves in propria manu detinere poterit) eas in prioris cella reponet, inde

De eorum consignatione in cella prioris.

auferendas de ipsius prioris licentia quacumque noctis hora, si necessitas aperiendæ januæ urgeat. Ipse vero notitiam quærentium ad quæsitos quacumque diei, vel noctis hora deferre debet.

De tempore quo ad januas monasterii se recipiet.

§. 290. 4. Ad præcipuam vero monasterii januam ostiarius major statim post orationem matutinam, vel capitulum sabbathi se recipiet, ibidemque muneri suo satisfactorius permanebit; personarum ad monasterium cujuslibet negotii causa confluentium rationes expediet: supplicationes, epistolas, mandata, et cætera hujusmodi, quæ illuc pervenerint, ad priorem, et alios, quibus fuerint transmissa, deferret, illorumque responsa quærentibus reddet.

De iis comitandis, qui monasterium ingrediuntur.

§. 291. 5. Personas conspicuas, aut nobiles loquendi gratia cum priore, vel quolibet alio religioso in monasterio venientes urbane comitabitur usque ad locum, ubi quæsitis loquantur. Plebejos vero, cæterosque homines inferioris conditionis minime sinet in dormitoria ingredi; sed quæsitos vocabit, ut in loco apto iisdem quærentibus loqui valeant. Erga omnes tamen se urbanum, affabilem, et religiosum maxime exhibebit. Quod itidem minores ostiarii sedulo observabunt.

De tractatione religiosorum peregrinorum.

§. 292. 6. Religiosos peregrinos, qui ad monasterium venerint, quique videantur cum debita licentia peregre ambulare ad refectorium ducere valebit prima vice dumtaxat; si enim deinceps inibi comedere, aut in monasterio permanere debuerint, id non nisi de licentia prioris fiet.

De elemosynas pauperibus faciendis.

§. 293. 7. Idemmet ostiarius major elemosynas pauperibus juxta consuetudinem distribuendas non solum a priore, sed etiam a camerario, ac refectorario postulabit, accipiet, et administrabit. Dormitorii portas dormitionis tempore claudi, et cum a somno excitati fuerint religiosi aperiri curabit. Januam vero principalem silentii tempore claudet, cæterisque temporibus reserabit.

De socio ostiarii.

§. 294. 8. Eidem quoque ostiario dabunt prior, et consilarii socium, vel socios, et famulos quotquot fuerint necessarii, ut eum adjuvent, locum ipsius aliquando suppleant, et cum opus fuerit, quælibet mandata deferent opportuna.

CAPUT XIII.

De officio procuratoris.

§. 295. 1. Ad procuratorem monasterii præter consilarii munus pertinet ex mandato, vel facultate prioris negotia temporalia, quæ ad victum spectant, procurare. Sacristiæ de thure, cera, oleo, nec non pane, ac vino ad usum altaris providere: panem, vinum, carnem, pisces, legumina, oleum, et quæcumque ad victum fuerint necessaria non solum conventui, sed etiam hospitibus, et famulis, et servitoribus suppeditare.

De officio procuratoris.

§. 296. 2. Ad eundem spectat oleum, sufficiens ad quæcumque monasterii, et ecclesiæ candelabra conferre, atque servitores colinæ, et quoscumque inferioris ordinis famulos regere; cæteros enim altioris ordinis famulos regent cæteri officiales, ut ostiarius, sacristæ, infirmarius, unusquisque scilicet eos, qui ad suam pertinent officinam.

Idem ut supra

§. 297. 3. Sed neque procurator, neque officialium quilibet sine prioris consensu famulum, aut servitorem quemquam admittere, vel dimittere valebit. Omnes tamen respective curabunt, ut singulis mensibus anni cuncti domus familiares pœnitentiæ sacramentum, et Eucharistiæ sumant, christianam doctrinam probe sciant, nullique diebus festis e monasterio egredientur, quin prius missam audiant.

De iis, quæ sine licentia facere non potest.

§. 298. 4. Eiusdem procuratoris est non solum quotidie post primam officinas sibi demandatas adire, illisque de re quacumque necessaria providere, sed etiam monasterii villas, cæteraque hujusmodi prædia aliquoties invisere, quid ibi fiat, vel fieri necesse sit examinare; quomodo villarum administratores, ac servitores se gerant inspiciere, et omnia, quæ suam facultatem superaverint, prælato narrare, ut cunctis juste provideat.

De aliis a procuratore faciendis.

§. 299. 5. Idem procurator singulis mensibus pretia rerum, et fructuum quos vendiderit, in rei communis theca nummaria reponet; et ex eadem pecunia nihil expendet, antequam in laudato scrinio reponatur, neque ex rebus, aut fructibus, qui domui sunt necessarii, vel apti, quidquam sine prioris jussu venundabit.

Idem ut supra

§. 300. 6. Eidem tamen procuratori singulis mensibus ad impensas victualium pecuniam dabunt rei commu-

Idem ut supra

nis, seu thecæ nummarie clavicularii; sed ipse receptæ pecuniæ ex tabulis, accepti, et expensi, quas confecerit, sicut etiam fructuum ex administratoribus villarum acceptorum, rationem in fine cujuslibet mensis priori, consiliariisque reddet; hujusmodi vero rationum procuratoris a priore, et consiliariis jam approbatarum summam camerarius, et scriba conventus colligent, transcribentque in librum accepti et expensi totius domus, ut in fine cujuslibet anni totius rei communis rationes prælato, et consiliariis plene reddantur.

CAPUT XIV.

De officialibus qui a priore, et consiliariis vocaliter eliguntur.

De officialibus vocaliter electis.

§. 301. 1. Præter supradictos officiales, sunt etiam alii, qui singulis monasteriis a priore, et consiliariis ad diversa ministeria voce tantum nominabuntur: nimirum, sacrista, magister cæremoniarum, cantores, magister cappellæ, camerarius, scriba conventus, depositarius, chartophilax, bibliothecarius, cellerarius, dispensator, et villarum, ac prædiorum administratores.

Animadversiones generales, circa eos.

§. 302. 2. Circa hujusmodi officiales, antequam de singulis dicatur, sunt nonnulla generatim observanda. Primum est priorem, et consiliarios eanti debere, ut seligant canonicos ad ea munera, quæ illis commendant idoneos, non enim omnes omnibus sunt apti ministeriis.

De pietate, honestate, et aliis virtutibus ab ipsis exspectandis.

§. 303. 3. Unde in sacrista præcipue spectanda est pietas, ac devotio, in magistro cæremoniarum, cantoribus, et magistro cappellæ præter peritiam ejus rei, quam profitentur, lætitas, ac patientia in docendo, aliosque dirigendo efflagitur: in hospitario, et infirmario, charitas præsertim exigitur: in camerario, depositario, chartophilace, scriba conventus, et aliis præter fidelitatem, industria, ac diligentia requiruntur.

De eorum publicatione.

§. 304. 4. Secundum est, eos, officiales, et si a prioribus, et consiliariis simul creentur, a solo tamen priore in capitulo publicari, ubi ministeria, ad quæ sunt electi, eisdem commendat, ab eisque juramentum exigit de fidelitate servanda, rebusque sibi creditis diligenter custodiendis.

De eorum duratione in officio.

§. 305. 5. Tertium est, tempus, quod dicti officiales durare debent, pendere ex arbitrio prioris, et consiliario-

rum, usu tamen, et consuetudine nonnullos eorum toto triennio in officio perseverare, et sacrista, camerarius, et chartophilax, et alios interdum per quatuor menses, interdum per octo, et aliquando etiam per annum, aut annos officia retinere.

§. 306. 6. Quartum est, prædictos officiales, non omnes in omnibus monasteriis necessarios esse, aut eligi solere, sed in majoribus tantum. Immo et in his aliquando unum, eidemque canonico duo, vel plura ex dictis officiis demandari possunt; cum, scilicet, unum aliorum exercitia non impedit.

De monasteriis in quibus eligendi sunt.

§. 307. 7. Ultimum est in singulis officinis habendum esse librum, in quo scriptæ sint res omnes cujuscumque generis, ac materiæ ad earum usum, ac servitium pertinentes. Et hunc librum a priore, præteritoque officiali tradendum esse illius successori, præsertim scriba conventus, qui diligenter inspiciat an aliquid a primo officiali deperditum, vel consumptum, vel etiam additum fuerit; ejusque rei fidem faciet in eodem libro, cui ipse cum veteri, ac novo officiali simul subscribet, eundemque statim deferet ad prælatum, ut pro ratione diligentie, vel negligentie adhibitæ in tractanda suppellectili suæ officinæ ipsum laude afficiat, vel pœna.

De libris custodiendis.

CAPUT XV.

De sacrista majori.

§. 308. 1. Ad sacristam in primis spectat, quam diligentissime custodire sanctorum reliquias, aurum, argentum, ornamenta, vasa sacra, omnemque suppellectilem usui ecclesiæ destinatam, ut omnia secundum tempora, consuetudinem, priorisque mandatam ad Deum cultum in custodia, puritate, venerationeque debita semper habeantur. Non poterunt tamen sub pœna culpæ gravis quidpiam foris commodare, etsi illis, quæ ad servitium ecclesiæ pertinent, absque prælati licentia speciali.

De sacrista majori.

§. 309. 2. Illius est per singulas hebdomadas, et quoties opus fuerit, sanctissimam Eucharistiam renovare, eam pœnitentibus ministrare, sacrarium, in quo eadem sanctissima Eucharistia asservatur, quam mundissimum semper habere; claves ecclesiæ, et sacristiæ interdum apud se tenere, atque illarum fores claudere, et aperire temporibus consuetis, donec, noctis initio adveniente, easdem claves majori

De ipsius muneribus.

tradat ostiario in cella prioris reponendas.

Idem ut supra

§. 310. 3. Ipsius est quoque non solum efficere, ut omnia, quæ ad celebrandas missas sunt necessaria quotidie summo perentur mane; altaria sint semper decenti modo ornata, et ecclesia frequenter a quibuslibet fœcibus, ac sordibus abstergatur, in solemnitatibusque solemniter adornetur; sed etiam particularibus monasterii sacellis de re quacumque necessaria providere.

Idem ut supra

§. 311. 4. Ad eundem spectat etiam curare, ut omnibus cappellis, anniversariis, et missis, ad quas tenetur monasterium, plene satisfiat. Proptereaque librum quemdam habebit, in quo scriptæ sint cunctæ hujusmodi cappellæ, anniversariæ, et missæ tam cantandæ, quam submissa voce dicendæ, in eodemque libro annuatim præfatæ satisfactionis fidem faciet a se subscriptam ac juramento firmatam, ut horum omnium singulis annis priori, et consiliariis rationem reddat, omnique tempore constare possit.

Idem ut supra

§. 312. 5. Ut autem sacrista majores omnes ecclesias quam mundissimas semper teneat, assignabitur ei socius, sive sacrista minor, qui eum adjuvet; habebitque sub regimine suo famulos decentes, ac bonis moribus instructos quotquot fuerint necessarii, ut acolythi sint missarum, ecclesiam verrant, lampadibus oleum infundant, vasa ecclesiæ abluant, et cætera hujusmodi peragant, quæ sibi fuerint injuncta.

Idem ut supra

§. 313. 6. Præterea ad sacristam quoque pertinet missarum, quæ in monasterio dici petuntur, elemosynas accipere, quarum nihil ipse dispensabit, neque expendet; quin potius in arcam, sive capsulam obseratam, et habentem rimulam more vasculi, quod Lusitanè *mialheiro*, Italice *dindarolo* vocatur, ea omnia mittere tenebitur, nihilque hujus pecuniæ sub reatu pœnæ mediocris foris relinquet, atque sub eadem pœna ad domum facultatis, sive rei communis eandem arculam tertio quoque mense deferre tenebitur, ubi ab eis aperietur, qui rei ipsi communi præsent, qui et claves ipsius capsulæ in arca communitatis asservabunt, et pecunia, quæ inventa fuerit, numerabitur, et in libro feretur accepti, atque in opera sacristiæ ex prioris, et conventus ordine dispensabitur. Prior autem, qui hoc observare non fecerit, pœnam culpæ gravis incurret.

CAPUT XVI.

De magistro cæremoniarum, cantoribus, et magistro cappellæ.

§. 314. 1. Magister cæremoniarum maximo zelo, ac studio ecclesiasticas cæremonias observabit, observareque faciet, eas præsertim, quæ pertinent ad cultum divinum, processiones, missæque sacrificium cum publice celebratur; huic enim semper aderit, vel ipse, vel substitutus illius, ut celebrantes, ac ministrantes dirigat.

De magistro cæremoniarum

§. 315. 2. Idem præterea docere, ac instruere tenebitur eos, qui noviter in altari epistolas, vel evangelia decantare, vel primum sacrum facere debent. Nullusque canonicorum aliquid ex prædictis exercere poterit, nisi a magistro cæremoniarum prius fuerit examinatus, et approbatus.

De ejus munere.

§. 316. 3. Eidem quoque prior, et consiliarii dabunt aliquot substitutos in eisdem cæremoniis peritos, qui eum adjuvent, ac substituunt, quibus etiam sicut magistro, omnes sub pœna culpæ mediæ in regimine cæremoniarum obtemperabunt.

De ejus jurisdictione.

§. 317. 4. Cantores in quolibet monasterio tres, vel quatuor ex peritioribus nominabuntur, horum primus dicetur major, chorumque reget, ac gubernabit, eo tamen absente, reget secundus, deinde tertius, deinde quartus. Eum vero, qui chorum rexerit, sequentur cæteri canonici, seu alte, seu prolixè, seu accelerate præeuntem.

De cantoribus.

§. 318. 5. Sed ne perturbatio contingat in cantu, seu dissonantia, operam dabunt cantores præfati, ut officium divinum semper distincte, et iuxta pauctorum distinctionem, seu pausas dicatur; utque omnes simul incipiant, ac terminent. Et tam ea, quæ recitantur, quam quæ canuntur, eo tono dicantur, qui non sit canentibus, recitantibusve nimium difficilis, aut molestus.

De eorum officio.

§. 319. 6. Cantor itidem major curam habebit librorum, qui ad plane canendum sunt ordinati; cæterarumque rerum ad chorum spectantium: lectiones in matutinis canendas inter canonicos distribuet. Subcantores ad quas-cumque solemnitates nominabit, ac diriget: eidemque solus prior, et vicarius, vel in eorum absentia, consiliarius chori præses præcipere valebit, ut chorum altiori, vel submissiori, vel tardiori, vel celeriori tono ducat.

Idem ut supra

De magistro
cappellæ.

§. 320. 7. Præter memoratos cantores erit etiam in quodam monasterio quidam magister cappellæ, qui canonicos a prælato designatos docebit cantum figuratum, planum quippe docebunt supradicti cantores; præeritque, ac reget canentes ubicumque cantu figuratu usi fuerint.

CAPUT XVII.

De camerario

De camerario.

§. 321. 1. In camerarium seligetur canonicus illè, qui non solum fidelis, sed etiam valde providus sit, ac industrius; hoc enim officium maximi est momenti. Camerarius siquidem habebit secundam clavem communis arcæ nummarie, quæ in singulis monasteriis esse debet: cunctos monasterii redditus coram scriba conventuali recipiet; et cuncta monasterii debita, omniumque famulorum stipendia solvet.

De ejus muneribus.

§. 322. 2. Omnia, quæ ad ecclesiæ, cujuslibetque sacelli ornamenta, religiosorum, ac famulorum vestitum, et reliquum monasterii usum sunt necessaria coemere faciet, ex priorisque ordine dispensabit. Conventui de vestibus, calcis, omnique suppellectili consueta diligentissime providebit juxta modum in capite XIII. parte 1. præscriptum, ita ut nemini quidquam desit, alioquin a prælato severe corripiatur.

Idem ut supra

§. 323. 3. Religiosorum vestes, quæ lavari solent singulis feriis secundis abluendas congeri faciet; sabbathis vero, aut quantocius fieri possit, cubiculatim distribui, ob idque operam dabit, ut omnes hujusmodi vestes, aut panni signo aliquo notentur, unde suus cuique reddi sine errore valeat. Vestes quoque novitiorum sæculares asservabit, ut illas, qui professionem ipsi emisierint, ex prioris mandato in pauperes distribuat; si vero non emisierint, eisdem reddat. Ea propter canonicum alium nominabunt prior, et consilarii, qui camerarium in prædictis adjuvet, illius sit substitutus, vestariusque dicatur.

Idem ut supra

§. 324. 4. Camerarius propterea quemdam habebit librum a priore subscriptum, et consignatum, in quo non solum scribat quidquid receperit, et expenderit ipse, sed etiam colligat summam expensarum cujuslibet alterius officinæ. Et in fine cujusque anni simul cum scriba conventus priori, consiliariisque rationem reddant totius rei communis acceptæ, et expensæ, nec non

etiam debiti cujuslibet activi, et passivi; in eodemque libro scriba conventus fidem faciet approbationis, aut reprobationis a prælato, consiliariisque factæ, quam fidem subscriptent omnes.

§. 325. 5. Ne autem quindenniorum solutio nimium sit onerosa, tenebitur camerarius singulis annis reponere in quodam scrinio intra communis arcæ clauso, decimam quorundam partem reddituum ad quindennia spectantium suo tempore solvenda. Pater vero generalis, et collegæ hanc summam quindenniorum in singulis monasteriis liquidam faciet, ubi facta non fuerit, aliter enim jam facta dirigatur. Visitatores de hujusce rei observatione inquirent.

Idem ut supra

§. 326. 6. Ad camerarium quoque spectat, cum aliquis canonicus, aut conversus obierit, intra decem dies post obitum simul cum scriba conventus inventarium facere omnium rerum, quæ ad illius usum pertinebant, ipsumque deferre ad prælatum, qui aurum, argentum, pecuniam, vestes, lectique mobilia, in commune vestiarium tradet camerario. Libros communi bibliothecæ applicabit; et cætera illius utensilia distribuet canonicis, ut missas pro anima defuncti celebrent juxta stipendium diocesis consuetum.

Idem ut supra

CAPUT XVIII.

De scriba conventus, ac depositario

§. 327. 1. Scriba conventus tertiam habebit arcæ communis clavem: et cujuslibet pecuniæ, quæ ibi reponatur, vel inde extrahatur, fidem portabit in libro quodam ibidem clauso. Cunctos redditus monasterii conscribet in libro alio a priore subscripto, qui liber præbendæ appellari consuevit, ut eidem libro rationes expensarum annuatim conformentur. Et easdem rationes simul cum camerario, penes quem liber ipse existet, singulis annis conficiet, ac reddet.

De scriba conventus.

§. 328. 2. Scriba quoque habebit librum authenticum, in quo tenebitur ex officio scribere omnia, quæ in capitulis conventualibus fuerint tractata, et decreta, et in capitulo proximo sequenti eadem conventui recitare: quæ quidem a priore, et immediato consiliario deinde subsignabuntur. Alium itidem habebit librum, in quem fideliter transcribet, non solum capituli generalis, ac definitorii determinationes, sed etiam quascumque epistolas, vel ordinationes,

De officio scribæ.

sive regias, sive pontificias, et similes ad monasterium venientes, aut spectantes.

Idem ut supra

§. 329. 3. Idem præterea schedulas solutionum cujuslibet pecuniæ monasterio debitæ scribet, et a priore, camerarioque subscriptas solventibus tradet. Mandata cujuscumque procurationis, vel ad lites movendas, vel ad pecunias mutuo suscipiendas, vel ad quæcumque negotia, quæ communitatem spectaverint gerenda, exarabit. Et postquam a priore fuerint subsignata, sigillo munit conventuali. Nominationes demum, seu, ut vulgo dicitur, præsentationes ecclesiarum, et beneficiorum ad jus patronatus monasterii spectantium conscribet, et a priore subscriptas sigillabit.

De depositario

§. 330. 4. Depositarius dato fidelitatis juramento, servabit in quodam scrinio a se clauso, cunctam pecuniam singulorum monasterii religiosorum particularium, quæ ad ipsorum usus particulares destinatur: huic enim depositario singuli custodiendas tradent quascumque pecunias, vel ex missarum, et concionum elemosynis, vel ex annuis sæcularibus, aut ecclesiasticis pensionibus, vel ex cathedrarum minervalibus, vel ex officiorum stipendiis, vel doctoratus emolumentis, vel ex alicujus libri a se compositi lucris provenientes, vel quocumque alio modo peculiariter acquisitas.

De munere depositarii.

§. 331. 5. Idem vero depositarius quemdam habebit librum, in quo sigillatim, ac nominatim scribet quidquid pecuniæ in depositum ab unoquoque acceperit, et quidquid unicuique inde reddiderit. Nihil tamen ex hoc deposito depositarius, aut quilibet alius extrahere poterit sine consensu illius, ad cujus pertinet usum; ut autem quis pecuniam extrahat, quam ibi deposuerat, prius licentiam prælati obtinere debet.

CAPUT XIX.

De chartophilace, ac bibliothecario

De chartophilace.

§. 332. 1. Chartophilax curam geret chartophilacii, in quo scripturas, et omnium donationum monumenta, quæ monasterio facta sunt, videlicet censuum vitalitiorum, quos *Prazos* vocant; emphyteusium; emptionum, et venditionum contractus a monasterio legitime celebratos; nec non ecclesiarum ad monasterium pertinentium quælibet documenta, ut jus ipsarum semper innotescat; et omnium rerum titulum,

vel titulos, ac sententias ad monasterium spectantium maxime asservabit.

§. 333. 2. Habebit item in chartophilacio librum aliquem, sive libros, qui Bullarum omnium, Motuum priorum, Breviumque apostolicorum ad hujus congregationis, aut alicujus monasterii commune bonum pertinentium, nec non rescriptorum, ac literarum regum, aut eorum vices agentium authentica exemplaria contineant. Sed non minorem sollicitudinem adhibebit in scripturis, chartis, ac titulis antiquis servandis, et conservandis, quam in novis congerendis, et authentice describi faciendis; ut jus monasteriis firmum semper consistat.

De officio chartophilacii.

§. 334. 3. Idem præterea tenebitur, quoties aliquod vacaverit beneficium, sive ecclesia ad jus patronatus monasterii spectans, priorem statim, vel conventum monere, ut opportuno tempore ad ipsam ministri habiles nominentur, seu præsententur, ad idque muneris ex eadem congregatione canonici in primis seligantur. Et postquam sic præsentati fuerint ab ordinario confirmati, hujusmodi confirmationum chartas, et sententias perquirat in chartophilacio reponet, servabitque, ut jus patronatus in monasterio firmiter perseveret.

Idem ut supra.

§. 335. 4. Tenebitur etiam lites quascumque ad monasterium spectantes instruere, illarum documenta parare, hujusmodique instructiones procuratoribus, et consultoribus promere. Nullam tamen poterit litem movere absque prioris, et conventus facultate, neque librum, aut scripturam, aut titulum chartophilacii extraneis conspiciendum, vel transcribendum præbere, nisi jure compulsus, aut ex ordine superioris. Nemo autem præter chartophilacem, aut prælatum sub excommunicationis pœna librum, vel scripturam, vel titulum quempiam ex chartophilacio extrahere valebit.

Idem ut supra.

§. 336. 5. Chartophilax demum ex superioris, et consiliariorum mandato, aut consensu a monasterio egredietur, cum opus fuerit, ut laudemia conquirit, census, vel emphyteuses temporaneas, seu vitalitias renovet, et quælibet negotia ad chartophilacium spectantia conspiciat, gerat, procuret.

Idem ut supra.

§. 337. 6. Bibliothecarius curam geret communis bibliothecæ: eam frequenter mundare faciet: libros illius dinumeratos habebit: damnatos, sive prohibitos quadam clave occludet: nullatenusque sinet ex hac bibliotheca li-

De bibliothecario.

brum quemlibet extrahi absque legitima facultate, aut extractum ultra permis- sum tempus retineri. Solus autem superior ut extrahantur licentiam concedere poterit canonicis concionatoribus, aut lectoribus, in plures dies, vel etiam menses; cæteris vero ad octo tantum dies: id tamen constare semper debet bibliothecario, qui quidem ad tres solummodo dies eandem quoque licentiam dare valebit.

De libris in
bibliotheca
habendis.

§. 338. 7. In communi vero bibliotheca erunt saltem (ad idque sub gravi pœna priores constringentur a visitatoribus) libri sequentes: Biblia sacra cum concordantiis: opera omnium sanctorum patrum, et aliquot alii sacre scripturæ expositores: textus utriusque juris, et aliqui ejusdem interpretes: ordinationes regię: conciliorum generalium collectio aliqua; Bullarium magnum, et synodales constitutiones; summa divi Thomæ; plures theologiæ dogmaticæ, ac moralis auctores: nonnullæ concionum, aut concionatorum collectiones: aliique scriptores, qui a capitulo generali fuerint assignati.

De licentia
habenda a ca-
nonicis pro le-
ctione libro-
rum.

§. 339. 8. Unusquisque tamen canonicorum, licentia prælati præcedente, poterit sibi alios quoscumque voluerit, ac potuerit libros emere, eos secum retinere, illisque uti, dummodo ex pecunia, quam in deposito destinatam habuerit ad usum suum, illos emat, aut alio quocumque modo licito acquirat, dummodoque non teneatur monasterium, cum in aliud canonici transmigraverint, expensis reddituum, seu honorum communium hujusmodi libros transportare præter duplicem illorum sarcinam, si cujuslibet fuerint canonici, et quadruplicem, si alicujus fuerint magistri, aut lectores.

CAPUT XX.

De infirmario, et refectorio

De infirmario,
et ejus munere.

§. 340. 1. Infirmarius tribus præcipue in rebus circa ægrotos, et infirmos diligens, ac sollicitus esse debet. In primis, ut initio ægritudinis sacramentum confessionis; Eucharistiæ vero, et unctionis suo tempore eis conferatur. Deinde, ut quam maximo nitore, munditia, diligentiaque de cibo, potu, medicamentis, et aliis, quæ medico expedire videantur provideat.

Idem ut supra

§. 341. 2. Tertio denique, ut operam, et studium ipsis prudenter consolandis adhibeat, non solum verbis, ac exemplis eos ad patientiam exhor-

tans, sed etiam a prælato flagitans quæcumque illis prodesse valent. Ut autem præsto sit omnibus infirmis, et valedudinariis, in eo commorabitur loco, ubi facile queat reperiri; eidemque plures, vel pauciores pro numero ægrotantium adjutores dabuntur.

§. 342. 3. Refectorarius debet refectorium semper mundum habere, omniaque sibi ad mensarum usum, et ministerium credita providere; panem, vinum, et cætera consueta, eaque suis temporibus distribuere. Debet etiam, si ministri, vel mensæ servitores in tabula assignati, tempore refectionis non adsint, servitium aliis commendare, et eos, qui serviendi ordinem in mensis non servant, in ordinem redigere.

De refectorio, et ejus manere.

§. 343. 4. Ejusdem etiam frustra panis, et communis condimenti carnis, ac piscium, quæ supersunt ex mensa in pauperum eleemosynas distribuenda colligere; cæteraque peragere, quæ in capite de refectioe fuerunt dicta. Concedimus autem refectorario facultatem, ne intersit horis diurnis, si eo tempore aliquid in refectorio habuerit faciendum, exceptis capitulo, processione, missa, atque vespere, et oratione.

Idem ut supra

CAPUT XXI.

De hospitario, et coronario

§. 344. 1. In monasteriis hujus congregationis tam religiosis approbatæ religionis, cum debita licentia iter facientibus, quam sæcularibus, quos prior admiserit, honestum præberi hospitium constituimus. Hoc tamen per quadri- dum solummodo fiet, diebus accessus, et recessus non computatis, quo tempore elapso sine consiliariorum consensu in monasterio diutius immorari non poterunt.

De hospitario et ejus officio.

§. 345. 2. Hospitarii vero est custodire omnia, quæ ad hujusmodi hospitium pertinent, mundum, et tersum habere domicilium, omnemque supellectilem hospitum receptioni destinatam; ipsisque, et eorum famulis, et equis de rebus necessariis providere, quam ad rem procurator non solum ca, quæ ab hospitario postulantur, sed etiam famulos plures, paucioresve pro hospitum meritis, ac numero dare tenebitur.

Idem ut supra

§. 346. 3. Sed si hospites fuerint religiosi hujus ordinis, vel alterius, qui intra dormitorium recipiendi sint; hospitium ipsis præbebit camerarius; curabitque diligenter, ut illis cellæ, le-

Declarationes circa hospites

ctus, et alia necessaria præparentur. Quicumque vero hospites ipsius congregationis, cum ad aliquod monasterium recipiantur, vel de superioris licentia ex uno ad aliud transeunt, ab ejusdem monasterii habitatoribus prima nocte visitari poterunt, et octo etiam diebus sequentibus, extra tempus tamen silentii, quibus transactis, nullus jam in eorum cellas sub pœna culpæ mediæ ingredi poterit. Quin potius ipsi hospites quoad silentii observationem, chori frequentationem, missæ celebrationem, et alia hujusmodi se eodem modo gerere debent, atque alii ejusdem monasterii accolæ.

De coronario, et ejus officio.

§. 347. 4. Coronarius ille dicitur, cui rasura, seu tonsura religiosorum committitur, quæ quidem vicibus duabus in qualibet septimana fiet. Ad coronarium itaque pertinet aquam, mappas, et cætera, quæ ad id fuerint necessaria parare, ubi primum tonsores venerint per se, aut per socium sibi assignatum, religiosos ad rasuram vocare, utque tonsoribus sibi ministrentur, curare.

Idem ut supra

§. 348. 5. Curabit etiam, ut interim dum canonici tondentur, seu raduntur, silentium observetur: et cum coronæ fiant, non secundum consuetudinem monasticam, sed juxta ordines, quos unusquisque habuerit, ad eum modum, quo utuntur clerici regulares, et sæculares secundum constitutiones illius diœcesis, ubi sita sunt monasteria. Capilli tamen capitis ita erunt tonsi, ut non descendant infra medium capitii almartiæ.

CAPUT XXII.

De cellerario, ac dispensatore

De cellerario, ejusque officio.

§. 349. 1. Cellerarius habebit sub potestate sua frumentum, vinum, oleum, aliaque hujusmodi: hæc autem omnia tempore opportuno diligenter colliget, et collecta servabit, ne pereant, et ex iis in sacristiam, refectorium, et alias officinas, quæ necessaria fuerint, ex consuetudine, aut prælati dispositione statutis horis transmittet, curabitque, ut panis sufficiens, postquam fuerit coctus, dispensatori, refectorario, cæterisque de more tradatur.

De dispensatore, ejusque officio.

§. 350. 2. Dispensator est, qui cellariæ, et coliciæ præficitur. Ad eum vero pertinet curare, ut vasa, et instrumenta omnia colinaria tersa, et munda habeantur; cibi ad tempus debitum præparentur; et omnia, quæ

Bull. Rom. Tom. VII.

sibi a priore, vel procuratore demandata fuerint, opportune compleantur.

Declarationes speciales.

§. 351. 3. Quamvis autem in cellerarium semper nominari debeat aliquis ex canonicis capitularibus, dispensatoris tamen munere fungi potest quilibet ex professis, immo ex conversis. Sunt vero hi duo officiales, veluti socii, et administri procuratoris, solumque in monasteriis valde magnis illi dari solent.

CAPUT XXIII.

De villarum administratoribus

De administratoribus villarum.

§. 352. 1. In villarum, et prædiorum administratores nominabunt quottannis prior, et consilarii eos canonicos, aut conversos, qui satis virium, et religionis, fidelitatis, et solertiæ ad id muneris rite gerendum habuerint. Ipsosque tamen poterunt ab eo munere amovere, vel diutius conservare, prout iisdem priori, et consiliariis visum fuerit expedire: eosdemque prior per se, aut per alium visitabit, de illorum moribus inquiret, corripiet, emendabit.

De eorum officio.

§. 353. 2. Hujusmodi vero administratores postquam in manu prioris juramentum fidelitatis præstiterint, curam sument, exercebuntque villarum, et prædiorum sibi commissorum tantæ æquitate, ut nec extraneorum bona eripiantur, nec monasterii redditus perdantur. Agros, vineas, pomaria opportune colent: fructus tamen majores, seu præcipuos, nempe frumentum, vinum, oleum, et si quid aliud in monasterio fuerit insumendum, nullatenus vendent, aut dispendent sine prioris, vel procuratoris facultate, sicut etiam arbores quascumque, vel fructiferas, vel infructiferas secare, aut eradicare, et opus quodlibet conficere non poterunt, absque prioris, et consiliorum mandato, vel auctoritate.

Idem. ut supra

§. 354. 3. Tenebuntur quoque monasterium adire, non solum ut præcipuis adsint festivitibus, spiritualibusque exercitiis aliquandiu vacent; sed etiam quoties a prælato quacumque ratione fuerint vocati. Cæterum in fine cujuslibet anni omnium rerum acceptarum, et expensarum, totiusque administrationis suæ coram scriba conventus rationem reddent priori, et consiliariis. Respectu vero aliorum religiosorum, qui cum debita licentia illuc appulerint, vel ibi permanserint, exequentur omnia, quæ sibi a priore fuerint injuncta, et ordinata.

CAPUT XXIV.

De procuratoribus generalibus

De procuratoribus generalibus.

§. 355. 1. In procuratores generales poterunt eligi a capitulo generali, singulis trienniis duo canonici, ut alter Ulyssippoë, alter Portugali, communia totius congregationis negotia gerant, atque procurent.

De eorum officio.

§. 356. 2. Hi autem in litibus sequendis, aut aliis gerendis negotiis, quæ totam congregationem spectaverint, eam habebunt potestatem, quam ipsis capitulum generale in literis patentibus ab eisdem capitulo præside, duobusque immediatis vocalibus subsignatis concesserit.

Idem ut supra.

§. 357. 3. Circa lites vero, et alia quæcumque negotia, quæ ad singula monasteria pertinuerint, eam solummodo habebunt potestatem, quam ipsis conventus uniuscujusque domus in charta procurationis contulerit. Poteruntque iidem conventus hanc procurationem dictis procuratoribus non concedere, vel concessam revocare, quoties id expedire judicaverint.

Idem ut supra.

§. 358. 4. Quod si litem aliquam inter monasteria ipsa, vel inter priorem, et conventum, vel inter patrem generalem, et quamlibet congregationis domum, aut illius prælatum moveri contigerit, procuratores generales nullius partis sument patrocinium.

Idem ut supra.

§. 359. 5. Expensas tamen, quas fecerint, vel in solvendis causidicorum, et scribarum stipendiis, vel in alendis famulis, corribus, aut equis sibi deservientibus, vel in similibus ad gerenda negotia sibi necessariis, solvent omnia congregationis monasteria pro ratione reddituum suorum juxta distributionem a patre generali, et collegis annuatim faciendam.

Idem ut supra.

§. 360. 6. Sed hujusmodi expensarum rationes singulis annis iidem procuratores reddent patri generali, atque collegis, qui quidem ipsas ad capitulum generale deferent, ac præstabunt, alioquin vocem in eodem capitulo non habebunt.

PARS III.

De statutis pro collegio Sapientiæ Collimbriensi

CAPUT I.

De collegii habitatoribus, et rectoris, regentis, consiliariorumque muneribus.

§. 361. 1. Cum ad erudiendos, uti par est, hujus congregationis canonicos in quibuslibet artibus, et disciplinis, maxime ecclesiasticis, fuerit institutum Collimbriense collegium Sapientiæ dictum; ejusque rei gratia sufficientibus canonicis, ac redditibus constare debeat: statuimus, ut in præfato collegio sint accolæ tantummodo rector, et regens, et professores theologiæ quatuor, et alius philosophiæ, et alius linguarum græcæ, et hebraicæ: quinque magistri substituti, aut Passantes, duodecim scholares thologi, et alii duodecim philosophi, procurator collegii, lectores illi emeriti, professoresque universitatis, qui voluerint, ac potuerint in eodem habitare.

De collegii Collimbriensis habitatoribus.

§. 362. 2. Rector eandem habeat dignitatem, jurisdictionem, potestatem, prærogativas, et privilegia, collegiumque gubernabit eodem modo, eodemque tempore ac monasteriorum priores, a quibus utique solo nomine differt, circa illa, quæ non opponuntur hisce statutis. Ad hoc autem munus eligetur a capitulo generali singulis trienniis aliquis ejusdem congregationis canonicus, qui non solum habeat qualitates in prioribus requisitas, sed etiam sit magister, vel saltem polleat magna, et notoria literarum fama: dum tamen fuerit rector nullam cathedram moderabitur: et quamvis lector sit emeritus, aut alio quocumque privilegio fultus, aderit semper divinis officiis in choro recitandis, et omnibus communitatis actibus, magnaque sollicitudine observare faciet cunctas leges, quæ non solum ad regularitatem, sed etiam ad literarum pertinent studium, ut tam in virtutibus, quam in literis collegium semper floreat.

De ejus rectore, et officio ejus.

§. 363. 3. Regens erit semper aliquis ex lectoribus, aut magistris electus a capitulo generali, quemadmodum rector; postquam vero fuerit confirmatus erit non solum vicerector æqua-

De regente, et officio ejus.

lis per omnia vicariis aliarum domuum, sed etiam studiorum præfectus, ideoque scholas frequenter invisit; scholarium cellas studii tempore visitabit, et si quos obligationi suæ non satisfaciētes invenerit, rectorem admonebit provisurum. Tam magistros, quam discipulos ad literarum progressum excitare curabit. Dissertationes, quas fecerint scholares examinabit, corriget, atque laude, vel vituperio afficiet. Nunquam poterit in quibuslibet actibus literariis, sive publicis, sive privatis quempiam ex professoribus, aut magistris sibi præsentem reprehendere, aut emendare.

Declarationes
circa officium
rectoris, et re-
gentis

§. 364. 4. Rectoris autem, et regentis officia, ut priorum, et vicariorum integro durant triennio, vacantque cum pater generalis ad collegium cum collegis illud visitaturus, novumque rectorem confirmaturus accedit. Quod si horum aliquis, vel ambo se officiis abdicare voluerint, ejus rei causas ab eisdem assignatas expendere, abdicationemque ipsam admittere, vel reiicere, habito prius consensu omnium collegii capitularium, qui scholares non fuerint, ad patrem generalem spectat, substitutum, et collegas. Cum vero rectoris, regentisve officia morte, depositione, renuntiatione, vel dimissione vacaverint, pater generalis, substitutus, et collegæ simul cum prælato, et omnibus collegii lectoribus, atque magistris novum rectorem, et regentem in eodem collegio per scrutinium eligent, nisi vacatio hujusmodi contingat intra septem menses ante capituli generalis celebrationem; tunc enim locum rectoris in omnibus tenebit regens, sicut respecta priorum dictum fuit in capite de vacationibus, et lectionibus extraordinariis; locum vero regentis substituet actualis professor theologiæ antiquior in religione.

De consiliariis,
eorumque ma-
nibus.

§. 365. 5. Consiliariorum manus habebunt in collegio regens, ac tres ex quatuor theologiæ lectoribus juxta uniuscujusque in religione antiquitatem: eademque jurisdictione gaudebunt, qua monasteriorum consiliarii. Si tamen regens aliquam moderetur cathedram, omnes quatuor theologiæ professores a consiliis eruant. Deficientis vero, aut impediti cujuslibet consiliarii, vel etiam rectoris, sive regentis locum substituet primum reliquus theologiæ lector, (si ex quatuor non fuerint supradictis) deinde philosophiæ lector, deinde lectores emeriti secundum ipsorum in religione antiquitatem; deinde magistri substituti; deinde professor idiomatis

græci, si forte ipse non sit quoque theologiæ, aut philosophiæ professor, aut magister, deinde passantes, deinde cæteri capitulares collegii habitatores juxta uniuscujusque antiquitatem.

CAPUT II.

De collegii procuratore, scholæ magistro, cæterisque officialibus.

§. 366. 1. Quoniam ad collegium rite administrandum alii quoque officiales sunt necessarii, rector, et consiliarii novum ex tota congregatione canonicorum eligent vocaliter, qui procurator simul, et camerarius, et ostiarius major sit collegii: eundemque pater generalis, et collegæ tenebuntur confirmare, et e quavis domo ad collegium accersire, nisi ob magni ponderis rationes ab officio excludatur, aut ob crimina gravia inhabilis judicetur. Sic autem electus, et approbatus, licet consiliarius esse nunquam debeat, munera tamen procuratoris, camerarii, et ostiarii majoris adimplebit, quemadmodum similes aliarum domuum officiales, ut in secunda parte fuit jam dictum, ad eaque rite implenda eidem subiciuntur, et assignabitur conversus aliquis in dispensatorem, et alius conversus vel famulus in janitorem.

De procuratore
et aliisque of-
ficialibus.

§. 367. 2. Ad eos, qui adhuc in schola versantur novitiorum erudieudos, ac instituendos in via salutis, ne regularitatem in tyrocinio haustam occasione studiorum perdant, nominabitur a rectore, consiliariisque aliquis ex canonicis ejusdem collegii habitatoribus in scholæ magistrum. Hic vero postquam implere munus suum jurejurando promiserit, maxime curabit, ut noviores canonici ad tyrocinium adhuc pertinentes non tantum literariis exercitiis, sed etiam spiritualibus, cæterisque præfixis muneribus vacent: deficientes, et errantes corriget, ac puniet: eosdem in choro, et quovis alio communitatis actu semper comitabitur, atque cætera peraget, quæ de magistro novitiorum in secunda parte dicta sunt, dummodo hisce statutis contraria non sint.

De officio eorum.

§. 368. 3. Nominabuntur etiam a rectore, consiliariisque in scribam conventus, chartophilacem, depositarium, bibliothecarium, cæremoniarium, sacristam, magistrum, coronarium, ac primum refectorarium hi canonici collegii accolæ, qui ad hujusmodi officia aptiores fuerint judicati: in dispensatorem vero, infirmarium, janitorem,

De nominatio-
ne eorum.

secundum refectorium, et villarum, ac prædiorum administratores nominari poterunt aliquot conversi, qui ad hæc munera exercenda majorem habuerint capacitatem. Et omnes hi officiales observabunt ea, quæ respectu similium in secunda parte fuerunt stabilita.

CAPUT III.

De professorum muneribus.

De muneribus professorum.

§. 369. 1. Professores supradicti, ut quamlibet in collegio moderentur cathedram, primum eligendi, seu nominandi sunt a capitulo generali, vel definitorio, vel istorum defectu a patre generali, substituto; collegis, rectore, et consiliariis ejusdem collegii juxta uniuscujusque oppositorum capacitatem et merita, sicut infra dicetur.

Idem ut supra

§. 370. 2. Postquam fuerint nominati, et cathedram temporibus consuetis lecturi ascenderint, auditores non tantum literarum studiis imbuent, sed verbis, ac exemplis ædificabunt: in omni facultate semper magis probatam doctrinam sequentur: a convitiis tam erga extraneos, quam se invicem, et maxime erga auctores catholicos abstinebunt: sive propugnantes, sive impugnantes in qualibet quæstione sint, semper modeste, ac religiose id faciant.

Idem ut supra

§. 371. 3. Ut autem melius, ac facilius discipulos instruant, lectionesque illis assignent, aliquo utentur libro in compendium redacto, quam ipsi professores, approbante rectore, ac regente, selegerint: auditoribus memoriæ commendandas lectiones quotidie assignabunt, commendatasque tempore opportuno ab ipsis audiant.

Idem ut supra

§. 372. 4. Quæstiones, ac dubitationes, quas discipuli circa doctrinam a præceptore traditam sibi proposuerint, non solum in gymnasio, sed etiam in cella sua, rectoris, vel ejus, qui suas egerit vices licentia habita, quotiescumque opportuerit, ipsis explicabunt. Errantes, vel deficientes respectu rei literariæ increpabunt, et cum opus fuerit aliqua pœna rector admonebitur provisorius.

Idem ut supra

§. 373. 5. Lector proinde scripturæ sacræ in primo cujuslibet curriculi anno exponet libros, quos selegerit ex Testamento veteri: in secundo autem, et tertio quos selegerit ex novo Testamento. Lector theologiæ dogmaticæ, leget in primo anno materiam de locis theologicis, et attributis Dei, in secundo de Trinitate, et Incarnatione: in

tertio de Ecclesia Christi, et gratia. Lector theologiæ moralis explicabit in primo anno præcipuas quæstiones de sacramentis in genere, et specie: in secundo præcepta decalogi: in tertio tractatus præcipuos de justitia, et jure: et in omnibus circa morum doctrinam maxime cavebit, ne probabilioribus sententiis minus probabiles anteponat. Lector historiæ ecclesiasticæ eam dividens per sæcula diversa, docebit principaliora facta uniuscujusque sæculi quousque potuerit. Prædicto autem modo cathedras suas semper moderabuntur omnes theologiæ professores, horum siquidem alius scripturam sacram, alius theologiæ dogmaticam, alius theologiæ moralem, et alius historiæ ecclesiasticam explanabit.

§. 374. 6. Lector philosophiæ in primo anno docebit logicam, criticam, hermeneuticam, et metaphisicam: in secundo elementa geometriæ, et arithmeticæ, atque phisicam generalem: in tertio phisicam particularem, et ethicam. Professor linguæ græcæ eam explicabit auditoribus philosophiæ in primo, et secundo curriculi anno: in tertio autem linguam hebraicam.

CAPUT IV.

De substitutorum, et scholarium obligatione.

§. 375. 1. Magistri, qui adhuc jure proprio legere non inceperunt, lectorum vices agere, cathedrasque substituere tenebuntur, quoties illarum professores, infirmitate, aut alia simili causa fuerint impediti, aut rector id præceperit, cunctis literarum actibus, et exercitiis aderunt semper, ut ibidem arguant, vel præsideant juxta uniuscujusque ordinem, et antiquitatem. Scholaribus quæstiones, ac dubitationes quaslibet privatim explicabunt, si professores impedimento aliquo laboraverint, aut a rectore id fuerit mandatum. Cum vero cathedras non substituerint, studio incumbent toto etiam tempore quo scholares fuerint mane in gymnasiis. Deficientibus tamen hujusmodi magistris aut ipsis impeditis substituent, cæteraque peragent theologi, qui ad magisterium parantur, *passantesque* dicuntur.

§. 376. 2. Scholares cuncti philosophiæ tribus annis operam dabunt (nisi antequam religionem ingrederentur huic disciplinæ jam incubuissent, et illius examen in religione subierint)

et aliis tribus sacrae theologiae juxta distributionem suprafactam. Semper in collegii choro sicut etiam magistri substituti, et passantes, recitabunt officia divina, quae quidem numquam decantabuntur, nisi tantum matutinum, missa, et laudes in nocte natalis Domini, atque primae vesperae, tertia, missa, sexta, et nona, in festo conversionis m. p. Augustini.

Idem ut supra

§. 377. 3. Numquam ad monasterium sanctae Crucis ibunt absque speciali facultate rectoris; lectores, et magistros magna ubique veneratione prosequuntur; coram illis, et etiam iis, qui passantes vocantur, in nullo communis actu praesidebunt, quamvis sint hebdomadarii. Et omnes, qui ad scholam novitiorum adhuc pertinuerint, erga scholae magistrum tam in capitulo veniarum, quam extra illud, observabunt omnia, quae in aliis monasteriis observant illi, qui ad tyrocinium spectant.

CAPUT V.

De horarum distributione.

De distributione horarum

§. 378. 1. Hiberno tempore, sive a prima die octobris, usque ad ultimam aprilis mane hora sexta expergi fient a somno: et hora sexta cum dimidia chorum ingredientur primam, tertiam, sextam, et nonam recitaturi: quibus persolutis, inde recedent sacerdotes, ut altaris sacrificia offerant Deo, caeteri vero remanebunt ibidem, ut missam ab hebdomadario in altari majore recitandam audiant, eodemque tempore, orationem habeant mentalem, in cujus fine responsorium pro defunctis recitabitur consuetum, nisi habendum sit capitulum veniarum; tunc enim eo finito, recitabitur praefatum responsorium, et unusquisque in cellam suam recedet.

De hora octava, et nona.

§. 379. 2. Hora octava in gymnasium processionaliter ibunt scholares theologi cum professore theologiae dogmaticae, qui usque ad horam nonam leget hanc disciplinam: et ab hora nona usque ad decimam lector theologiae moralis eisdem leget facultatem suam. Scholares autem philosophi in gymnasium similiter ibunt cum philosophiae professore, qui usque ad horam nonam cum dimidia hanc docebit artem: et ab eo tempore usque ad horam decimam professor linguae graecae eandem ipsis explicabit. Iis vero finitis omnes item processionaliter cum professoribus suis in dormitorium redibunt.

§. 380. 3. Hora decima cum dimidia studio vacabunt usque ad horam undecimam cum dimidia; tunc enim ad prandium ibunt in refectorium, ubi lectione spirituali condietur mensa prima dumtaxat, qua finita in ecclesiam pergunt grates acturi: dein usque ad horam secundam pomeridianam tempus erit liberum, quod tamen non dissipabitur, sed silentio servato, in exercitiis, quae religiosos decent, occupabitur. Tempore tamen quadragesimae cum vespere dicuntur ante prandium semihora post undecimam vespere in choro recitabunt priusquam ad refectorium eant.

De hora decima.

§. 381. 4. Hora secunda post meridiem in choro vespere recitabuntur et completorium. Hora secunda cum dimidia scholares theologi processionaliter adibunt gymnasium cum sacrae scripturae lectore, qui usque ad horam tertiam cum dimidia Bibliam sacram ipsis exponet juxta sensum communem sanctorum patrum, ac interpretum catholicorum. Et a tertia cum dimidia usque ad horam quartam cum dimidia professor historiae ecclesiasticae, ipsam discipulis tradet ex veracioribus historiographis selectam. Scholares vero philosophi similiter pergunt in gymnasium cum professore suo, qui usque ad horam quartam leget, atque inde professor idiomatis graeci per semihoram docebit eosdem.

De hora secunda post meridiem.

§. 382. 5. Ab hora quarta cum dimidia usque ad sextam tempus erit liberum, quod quidem in confabulatione, sive recreatione honesta ad arbitrium rectoris impendent. Si tamen officium aliquod vel nocturnum defunctorum recitandum sit, intra hoc temporis spatium recitabitur. Ab hora sexta usque ad octavam studio vacabunt omnes; et exinde per semihoram lectionem habebunt spirituales, nisi habenda sit flagellatio conventualis: haec enim fiet a primo quadrante ad secundum post horam octavam. Hora octava cum dimidia chorum adibunt orationi mentali vacaturi usque ad horam nonam intra quod temporis spatium per dimidium horae quadrantem examini conscientiae communiter vacabunt, hisceque nemo sine urgentissima causa deesse poterit.

De hora quarta usque ad sextam.

§. 383. 6. Oratione mentali peracta, ibidem statim matutinum cum laudibus sequentis diei recitabitur, quibus finitis ad refectorium pergunt cenaturi, deinde in ecclesiam gratias de more acturi: et hora undecima cum dimidia

De oratione mentali.

signo dato, unusquisque in cubiculum suum se recipiat, ut post examen conscientiae iterum factum se somno dedat.

De tempore verno.

§. 384. 7. Tempore verno, sive a die ultima aprilis usque ad ultimam septembris mane hora quinta surgent e lecto, et secundo quadrante post horam quintam chorum ingredientur, ut primam, tertiam, sextam, et nonam recitent, missam audiant, vel celebrent, orationique vacent mentali, sicut in hyeme.

De hora septima.

§. 385. 8. Hora septima pergunt in gymnasia, ubi lector theologiae dogmaticae usque ad horam octavam leget, et ab hora octava usque ad nonam lector theologiae moralis explicabit. Professor autem philosophiae docebit usque ad horam octavam cum dimidia: atque inde usque ad horam nonam professor idiomae graeci. Hora nona cum dimidia usque ad decimam lectionem habebunt spiritualem, hinc studio incumbent usque ad undecimam cum dimidia; qua in refectorium vadeat pransuri, aliaque deinceps, sicut iam dictum est, facturi.

De hora tertia post meridiem

§. 386. 9. Hora tertia post meridiem in choro vespere, et completorium recitabunt; ab hora tertia cum dimidia usque ad quartam cum dimidia theologi sacrae scripturae lectorem audiant, ex inde usque ad quintam cum dimidia lectorem historiae ecclesiasticae. Philosophi vero professorem suum ab hora tertia cum dimidia usque ad quintam, atque inde professorem linguae graecae usque ad quintam cum dimidia.

De residuo tempore.

§. 387. 10. Dehinc tempus erit liberum modo supradicto impediendum usque ad horam septimam: ab hora septima usque ad octavam cum dimidia studio incumbent: hora octava cum dimidia pergunt in chorum, ut postquam orationi mentali, et examini conscientiae per semihoram vacaverint; matutinium cum laudibus recitent: caetera omnia sicut hyberno tempore fiant.

CAPUT VI.

De exercitiis literariis, privatisque disputationibus

De exercitiis literariis.

§. 388. 1. Cunctis diebus feriatis, exceptis festivitibus solemnioribus, et a nativitate Domini usque ad Epiphaniam, a dominica Palmaram, usque ad dominicam in Albis, et a prima die usque ad ultimam octobris, ab hora octava matutina, usque ad nonam cum

dimidia, tam philosophiae, quam theologiae disputationes fient in hunc modum: conredientibus omnibus in aula ad id ordinata, scholaris defendens primum exponet, ac probabit quaestiones in disputationem adductas: finita expositione, argumentabitur aliquis ex defendentibus condiscipulis a professore suo designatus; deinde passantes idem prosequuntur argumentum, postea instabunt professores, aut magistri, tandemque defendens, et praesidens ad argumenta opposita respondebat.

De disputationibus habendis.

§. 389. 2. In his autem disputationibus tres, aut quatuor ventilabuntur quaestiones ab unoquoque professorum consignatae, et alicui publico loco ante dies aliquot jam affixae: disputationibus theologicis professores theologiae destinatis diebus se invicem alternantes praesidebunt, nisi fuerint legitime impediti; tunc enim praerit aliquis ex magistris substitutis a regeunte designatus. Philosophicis vero praerunt magistri substituti, aut passantes a regeunte nominati, nisi philosophiae lector libere velit praesidere.

§. 390. 3. Eisdem quoque deputationibus aderunt, vel rector, vel regens, omnesque lectores, magistri, et passantes. Cum tamen et theologiae, et philosophiae deputationes fiant eodem tempore, ut ambabus fiat satis, regens alternatim designabit eos magistros, et passantes, qui utrisque interesse debeant.

De iis, qui ad disputationes venire debeant

§. 391. 4. Cunctis etiam hebdomadibus fient aliae disputationes hebdomaticae vulgo appellatae, in quibus novem erunt quaestiones disceptandae: praesidebunt alternatim sibi invicem succedentes ipsarum professores, qui non solum quaestiones deputandas, sed etiam discipulos propugnatorios; aut impugnatorios seligent: aderunt rector, vel regens, omnes lectores non impediti; magistri substituti, et passantes; caeteraque peragentur omnia sicut in disputationibus dierum feriatarum. Haec tamen disputationes, si fuerint theologiae, fient in sabbathis non feriatis; aut impeditis, durabuntque per tempus unicuique gymnasium destinatum; si vero fuerint philosophicae, peragentur in feria quarta tempore ad scholam vespertinam stabilita. Sed si aliquis professorum tunc temporis fuerit infirmus, aut legitime impeditus, aliquem ex magistris substitutis nominabit regens, ut his praesit conclusionibus.

De disputationibus hebdomadalibus.

§. 392. 5. Cunctis denique mensibus non feriatis scholares theologiae qua-

De dissertationibus a theologis habendis.

tuor dissertationes latine conficiant, philosophi vero unam. Ad easdem conficiendas singuli professores in principio statim cujuslibet mensis a prima die novembris, usque ad ultimam junii, questionem aliquam discipulis assignabunt; et postquam fuerint factæ, quarta die ante finem mensis unamquamque discipuli tradent professori suo, qui singulas examinabit, emendabit, posteaque ab illarum auctoribus ipsas coram omnibus legi faciet in gymnasio, ubi quemque increpabit, laudabitve juxta uniuscujusque meritum, aut demeritum, omnesque docebit, quomodo sit rite disserendum. Deinde unusquisque suam tradet regi, ut ab eo singulæ rursus introspectantur, privatimque laudentur, vel reprehendantur.

CAPUT VII.

De thesibus publice propugnandis

De thesibus publice propugnandis.

§. 393. 1. Omnes tam theologiæ, quam philosophiæ professores semel in anno theses, quas per annum auditoribus explicuerunt, publice propugnabunt, nisi ægritudine, aut alia rationabili causa, a rectore, ac regente approbata excusentur. Hac de causa prælo edentur, et postquam fuerint sic editæ, in singula Collimbiensis academiae collegia tertio die, ante illarum defensionem distribuentur.

Idem ut supra

§. 394. 2. Has vero theses priusquam typis mandentur, aut facultas easdem imprimendi, a quocumque tribunali de jure petatur, illarum auctores rectori tradent, ut a tribus magistris, quos ipse rector secreto destinaverit, examinentur ac probentur, posteaque ipsi magistro propugnato dentur, ut imprimantur.

Idem ut supra

§. 395. 3. Sed si aliquis ex censoribus destinatis circa theses quidquam dubitaverit, vel non approbaverit, rector magistrum thesium auctorem de dabo certum faciet, quo censorem dubitantem palam reddat, habitoque ipsius auctoris responso, alium magistrum, qui sibi visus fuerit, consulat; nec imprimendi facultatem præbebit, nisi tres magistri simul convenerint, ac deciderint. Et cum aliquid e thesibus defendendum, mutandumve a tribus censoribus fuerit judicatum, magister illarum auctor delebit, aut mutabit, aut omittet, nec aliter propugnare valebit.

Idem ut supra

§. 396. 4. In his proinde thesibus propugnandis duæ insumentur horæ: extranei arguentes, et assistentes hu-

mane, ac religiose a scholaribus, quos rector designaverit, suscipientur; expensæ pro illarum editione ad eam pertinebunt domum, ubi fuerint propugnandæ: discipulus ipsarum defensor tempore opportuno a professore suo nominabitur. Nemo autem sine studio, exercitatione, ac rectoris, consiliariorumque approbatione theses publicas propugnare audeat, alioquin juste puniatur.

CAPUT VIII.

De ordinariis scholarium examinibus

§. 397. 1. Quicumque philosophiæ curriculum fuerint ingressuri, antequam illud aggrediantur, de peritia linguæ latinæ, atque rhetorices examinabuntur a duobus examinadoribus, quos designaverint, prior, et consiliarii illius domus, ubi examinandi habitaverint, neque ad collegium admittentur priusquam rectori ex fide examinadorum scripta certum faciant se examinatos fuisse, et approbatos.

De ordinariis scholarium examinibus.

§. 398. 2. Postquam vero philosophiæ, vel theologiæ scholares fuerint singulis annis octobri ineunte usque ad diem decimam de tractatibus, aut philosophicis, aut theologicis, quos audierunt anno proxime præterito examinabuntur, præside tamen uniuscujusque professore. Sed in examinadores rector nominabit tres lectores, aut magistros, aut in horum defectu passantes, quos sibi visum fuerit; cæteri tamen lectores, et magistri simul cum rectore, ac regente intererunt.

De examine subeundo.

§. 399. 3. Pro philosophiæ examine subeundo quilibet scholaris philosophus duodecim proponet quæstiones ex singulis materiis, quas eo anno didicit, easque tertia die antequam examinentur, tradet examinadoribus. Deinde unusquisque examinador ab antiquiore incipiens habebit a scholari fundamenta quæstionis exponi, quibus expositis, brevi arguet. Lectore tamen præside scholaris ingenium, ac scientiam laudante, aut solidiori argumento dignum attestante, aut ipso scholari ad id se offerente; examinadores fortius argumentabuntur, et extra duodecim quæstiones supradictas ad alias a scholari tamen propositas excurrere inter arguendum tenebuntur.

De quæstionum numero.

§. 400. 4. Pro examine de scriptura sacra, theologia dogmatica, morali, et historia ecclesiastica eadem servabuntur respectu uniuscujusque materiæ, quæ

De examine in sacris materiis.

circa philosophorum examina præscripta sunt. Examina vero de idiomate græco, et hebraico fient, sicut fieri solent de latino.

FDs scrutiniis
faciendis.

§. 401. 5. Postquam scholares fuerint examinati, rector, aut qui ejus loco præest, cum examinadoribus, ac aliis præsentibus magistris ad eos approbandos, vel reprobandos, aut laudandos de sufficientia, ingenio, ac studio per secreta suffragia, in quibus aut litera *A.*, aut *L.*, aut *R.* scripta sit, convenient, ante oculosque habebunt congregationis utilitatem, ac Dei timorem, ne dignos reprobent, aut indignos approbent.

De approbatis,
vel laudatis.

§. 402. 6. Qui majorem suffragiorum favorabilium numerum acceperit, probatus, aut etiam laudatus, qui minorem, reprobatus censebitur. Cum vero suffragia æqualia numero inter se fuerint opposita penes rectorem, aut qui ejus vices agit, approbatio erit, aut reprobatio.

De registro
examinatorum

§. 403. 7. Approbationes, ingenium, habilitas, studium, ac laudes, quas unusquisque meruit, in libro destinato cum ipsius examinati nomine a recentiori magistro scribentur, et a rectore, ac regente subscribuntur.

De premiis
examinatorum

§. 404. 8. His peractis, rector coram examinadoribus, ac cæteris magistris unumquemque examinatum advocabit, corriget, aut laudabit juxta uniuscujusque meritum. Qui fuerit reprobatus, statim patri generali, et collegis in alia congregationis monasteria transferetur, ubi pro sui talenti ratione melius possit inservire, nisi primo philosophiæ anno reprobatus sit, et adhuc spes habeatur, quod ad studia admissus possit proficere.

De exemptionibus
eisdem
competentibus

§. 405. 9. Scholares tamen, qui theses publicas defenderint, immunes erunt ab examine subeundo pro materiis, quas publice substinuerunt, et ipsarum mentio thesium cum defendentis nomine in præfato approbationum libro scribentur; qui quidem liber sub clavi semper a regente servabitur. Examina vera scholarium theologorum in tertio curriculi anno fient a die decima quinta junii usque ad finem ejusdem mensis.

CAPUT IX.

De examine ad magisterii gradum

De examine ad
gradum magisterii.

§. 406. 1. Emenso theologiæ curriculo, factoque examine suprascripto, statim scholares theologi a definitorio, vel a patre generali, substituto, et col-

legis in alia transferentur monasteria, relictis in collegio tantum eis, qui a rectore, et consiliariis ejusdem collegii designati fuerint tamquam habiles, ut examen ad magisterii gradum subeant, fiantque passantes; hi enim a die duodecima quinta sequentis octobris hujusmodi subibunt examen in hunc modum.

De materiis se-
ligendis.

§. 407. 2. Unusquisque examinadorum sexdecim materias seliget, quatuor philosophicas, tres theologico-dogmaticas, tres morales, tres ad sacram scripturam spectantes, et tres ad historiam ecclesiasticam pertinentes. Pro singulis materiis tres quæstiones eliget ex gravioribus, quas in scriptis octavo die ante examen tradet rectori, ut tribus examinadoribus ab eodem rectore, regente, antiquiorique lectore destinatis secreto dentur.

De examinato-
ribus.

§. 408. 3. Assignato die, atque loco a rectore, pater generalis (si non fuerit impeditus, et interesse voluerit) rector, regens, omnesque in theologia sacra, aut philosophia magistri tam actuales, quam emeriti, et qui nullam adhuc cathedram moderati sunt, licet in monasterio sanctæ Crucis commorentur, examini aderunt. Singuli examinadores spatio unius horæ fortiter, ac nerveose arguent; sive cum examinandis circa propositas quæstiones disceptabunt: examinandi vero easdem sine præside sustinebunt.

De electionibus
faciendis

§. 409. 4. Examinibus peractis, tam examinadores, quam cæteri omnes præsentibus obstricti jurejurando, et ante oculos habentes non solum candidatorum scientiam, et ingenium, sed etiam probitatem, et cætera, quæ ad magisterium, religionisque utilitatem requiruntur per secreta suffragia consueta calculorum ratione circa unumquemque examinatum sententias ferent.

De electis.

§. 410. 5. Qui ex omnibus suffragiis in tres partes distributis duas acceperint, approbati ad magisterium, electique in passantes ipso facto censebuntur: et approbatio, ingenium, ac laudes, quas unusquisque meruit in libro examinum a magistro recentiori scribentur, quibus rector, regens, examinadoresque subscribent; qui autem fuerint reprobandi, statim ad alia monasteria, sicut supra dictum fuit, transferentur.

§. 411. 6. Capitulum deinde generale tenebitur hujusmodi approbationes, ac electiones confirmare; approbatisque literas patentes conferre, postquam vero passantes munus suum exercuerint per

De approbatione
capituli
generalis ob-
tinenda.

tres annos, capitulum generale eosdem per alias patentes literas nominabit in magistros, si ex testimonio rectoris, atque regentis constiterit, ipsos muneri suo satisfacisse.

CAPUT X.

De exornandis laurea doctorali

§. 412. 1. Ex magistris, substitutis, aut ex iis, qui passantes dicuntur, capitulum generale singulis trienniis ad doctoris lauream theologiam, vel philosophicam in Collimbriensi universitate sumendam designare poterit, quos non solum scientia, et literarum studiis, sed etiam pietate, regularique observantia digniores judicaverit.

§. 413. 2. Ut autem capitulo generali constare possit quinam sint hujus laureæ digniores, tenebitur non solum rector collegii de uniuscujusque inaugurandi actibus literariis ex omnibus studiis, meritis, et moribus capitulum generale certum facere, sed etiam unusquisque lectorum tam actualium, quam emeritorum in eodem collegio commorantium (si inaugurandi fuerint ejusdem collegii habitatores) de singulorum scientia, et capacitate, testimonium in scriptis suo nomine signatum, et oclusum proferre; atque sub juramenti fide quid sibi in Domino visum fuerit capitulo generali patefacere.

§. 414. 3. Hæc omnia documenta in capitulo generali ab ejusdem secretario propalabuntur antequam peragatur electio designandorum pro laurea consequenda. Deinde tractatus fiet ibidem inter capituli generalis vocales super uniuscujusque merita: tandemque per secreta suffragia ab eisdem vocalibus eligentur, qui laurea doctorali sunt inaugurandi, et in paritate votorum selectio erit penes capituli præsentem.

§. 415. 4. Expensas vero pro doctoribus efformandis, ad baccalauratum usque suppeditabit collegium: inde usque licentiatum inclusive monasterium sanctæ Crucis: ad doctoratum vero reliqua monasteria juxta uniuscujusque redditus ex distributione a patre generali, et collegiis facienda præstabunt.

§. 416. 5. Si quis tamen a parentibus, aut ab aliquo extraneo pecuniam ad expensas acceperit, modo ipse qualitatibus debitis exornatus sit, in doctorem a capitulo generali, præcedentibus eisdem, quæ ad lectionem aliorum dicta fuerunt designare poterit. Nec ut laurea decorandus quilibet de-

signetur; opus est omne studiorum tempus post religionis ingressum incluserit; quinimo ad hunc finem tempus, quod ante religionis ingressum ad discendæ philosophiæ, aut theologiæ, aut juri canonico dederunt, ipsis computabitur.

§. 417. 6. Doctores denique universitatem adire poterunt non solum; ut cujuslibet facultatis ostentationibus, aut oppositionibus universitatis festivitatis, aut processionibus, et actibus literariis theologiæ, aut philosophiæ intersint; sed etiam quancumque cathedram, vel theologiæ, vel philosophiæ tam proprietatis, quam substitutionis via moderentur. Quodcumque vero emolumentum inde acceperint, communitati acquirent, quod quidem in usus suos peculiares, atque honestos de licentia prælati poterunt applicare. Nullas tamen unquam sæcularium sectas, aut collegiorum partes sequentur.

CAPUT XI.

De provisionibus cathedrarum

§. 418. 1. Quoties aliqua theologiæ, aut philosophiæ cathedra vacaverit, circa illam fient oppositiones in hunc modum: triginta diebus antequam provideatur, rector id omnibus magistris, et theologis, qui passantes vocantur, notum faciet: regens vero duodecim schedulis æqualibus, eademque forma duplicatis duodecim questionibus ex principalioribus illius materiæ, quæ ad cathedram vacantem spectaverit, secreto scribet.

§. 419. 2. Præfixo deinde a rectore die, hujusmodi schedulæ in quodam vase, seu capsula includentur, atque inde a singulis competitoribus, sive oppositoribus per successivos dies singulæ coram rectore, regente, et consiliariis extrahentur. Et unusquisque ibidem legit questionem, quæ sibi sorte contigit; statimque in suam se recipiet cellam, ubi spatio viginti quatuor horarum solus ita remanebit, ut nemini loquatur; ibi tamen libri, quos postulerit, et omnia, quæ ad victum fuerint necessaria, eisdem ministrabuntur.

§. 420. 3. Eo tempore indagandæ questionis operam dabit, et super illam quamdam lectionem, seu dissertationem conficiet. In fine vero temporis præfati, congregatis in aula præcipua collegii patre generali (si non fuerit impeditus, et interesse voluerit) rectore, regente, omnibus lectoribus,

De privilegiis doctorum.

De provisionibus cathedrarum.

De scrutinio adhibeudo.

De dissertatione faciendâ.

De exornandis laurea doctorali.

De testimoniis adhibendis super idoneitate.

De publicatione documentorum.

De expensis etogaudis.

Idem ut supra

ac magistris, qui tunc non fuerint competitores, et in eodem collegio, vel sanctæ Crucis monasterio habitaverint, idem competitor defendens cathedram ascendet, ibique suam dissertationem, sive lectionem recitabit per semihoram: qua finita respondebit argumentis in quæstionem positis ab altero competitore, quem pater generalis cum rectore, vel rector cum regente ante prædictas viginti quatuor horas ad id nominaverint.

De oppositionibus, et testimonio in scriptis præbendo ab examinato-ribus.

§. 421. 4. Hac oppositione peracta, reliquæ sigillatim fient sequentibus diebus eodem modo: omnibus vero absolutis, rector, regens, singulique professores emeriti, et actuales, qui oppositionibus adfuerunt, testimonium in scriptis de scientia, capacitate, et meritis uniuscujusque competitoris occulte perhibebunt eis, qui juxta superius dicta providere debent. Hi autem postquam testimonia prædicta legerint, ac expenderit attendentes cæteris paribus ad antiquiores proprietatem cathedræ vacantis conferent digniori. Qui tamen fuerit provisus antequam docere incipiat, fidei professionem emittet, juramentumque rite obeundi munus suum in manibus rectoris præstabit: horumque omnium a consiliario recentiore in libro examinum fiet memoria.

De eligendis ad cathedram rhetoricæ.

§. 422. 5. Cum vero aliqua idiomatis græci, aut rhetorices cathedra vacare contigerit, pater generalis id conferens cum collegis, rectore, atque regente collegii ad examina convocabit eos canonicos, qui ob scientiam, et probitatem aptiores fuerint judicati. Consignato die coram patre generali, rectore, regente, lectoribus emeritis, et actualibus collegii, atque sanctæ Crucis examinabuntur a duobus, vel tribus examinato-ribus omnes qui fuerant vocati, et quilibet hoc examen subire voluerint.

De electionibus publican- dis.

§. 423. 6. Absolutis examinibus, omnes, qui adfuerunt ipsis secreto conferentes inter se circa uniuscujusque examinati capacitatem, vocaliter eligent eum, vel eos, qui ad hoc munus sibi digniores visi fuerint. Et pater generalis cum collegis tenebuntur cathedram vacantem conferre illi, qui a majori parte hujusmodi vocalium fuerit electus; tandemque provisio patentes literas præbebunt, quarum memoria in quodam libro apud collegam secretarium remanebit ab ipso conscripta, et subsignata. Notandum tamen est professores rhetoricæ theses quoque publicas propugnare posse, et respectu illarum, proportione

servata, observari debere, quæ circa philosophicas, et theologicas jam fuerunt stabilita.

CAPUT XII.

De privilegiis, et exemptionibus

§. 424. 1. Equum est, qui plus cæteris in congregationis utilitatem, ac decorem laborant specialibus privilegiis, ac exemptionibus decorari. Omnes propterea cujuscumque artis, aut scientiæ professores tam emeriti, quam actuales magistri, substituti, et passantes missas quascumque dixerint, libere poterunt pro quibus voluerint, applicare; dummodo ad satisfaciendas obligationes monasterii, aut collegii non sint necessarii: tunc enim tres solummodo missas in qualibet hebdomada ad libitum poterunt applicare; dummodoque in constitutionibus jam applicatæ non reperiantur, ut in parte prima harum constitutionum dictum fuit.

De privilegiis, et exemptionibus.

§. 425. 2. Cuncti lectores emeriti, et actuales ab officiis hebdomadæ, quæ in capitulo sabbathi distribuuntur, ubicumque fuerint, immunes erunt. Lectores quoque actuales immunes erunt ab officio divino in collegii choro persolvendo, exceptis matutino, missa, et laudibus in nocte Natalis Domini: primis vesperis, tertia, missa, sexta, et nona, in festo conversionis m. p. Augustini, et officio defunctorum de corpore præsentis.

De privilegiis lectorum.

§. 426. 3. Cum vero extra collegium habitaverint professores quidem actuales chorum adibunt solummodo in solemnitatibus Natalis Domini, Epiphaniæ, sancti Theotonii, feriæ quintæ, sextæ, et sabbathi hebdomadæ sanctæ, Resurrectionis Dominicæ, pentecostes, corporis Christi, Assumptionis beatissimæ Virginis, ac s. p. Augustini ad primas vespas, matutinum, laudes, tertiam, atque missam: et in festivitibus Circumcisionis, sancti Joseph, Annuntiationis, Ascensionis, sancti Antonii, sanctorum Petri, et Pauli, omnium sanctorum, Conceptionis, et titularis ecclesiæ, ad tertiam, et missam conventualem.

De privilegiis professorum.

§. 427. 4. Lectores autem emeriti, magistri, substituti, et passantes non solum primis vesperis, matutino, laudibus, tertiæ omnium prædictarum festivitatum, sed etiam officiis defunctorum de corpore præsentis, et trium anniversariorum solemnium, atque tertiæ, ac missæ conventuali cæterorum

Similia ut supra.

anni dierum adesse tenebuntur, nisi substituti cathedram actualiter substituant; tunc enim easdem habebunt immunitates ac professores actuales. Omnes vero supradicti tam lectores actuales, et emeriti, quam substituti, et passantes orationi mentali, lectioni spirituali, et examini conscientiae nunquam deerunt.

De privilegiis
lectorum emeritorum.

§. 428. 5. Emeriti proinde lectores vocem activam, et passivam habebunt in capitulo generali; et non solum in priores licet vicarii non fuissent, sed etiam in præpositum generalem, quamvis prioris nunquam extitissent, eligi poterunt. Ut lectores tamen sint emeriti, necesse est, ut philosophiam, et theologiam edoceant spatio novem annorum, noviesque publicis thesibus sine congregationis decore præsideant. Quod si philosophiam non docuerint, theologiam per duodecim annos legant, duodecimque conclusiones publice defendant, opus erit in philosophia quippe docenda labor duplicatur.

CAPUT XIII.

De temporibus feriatis

De temporibus
feriatis.

§. 429. 1. Tempore literario, sive a prima die octobris usque ad ultimam junii erunt feriatas, seu scholarum lectiones cessabunt cunctis diebus dominicis, et festis de præcepto, et a vigilia Nativitatis Domini usque ad Epiphaniam, et a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis, et qualibet feria quinta, si alius dies in eadem hebdomada non sit feriatas, quo cum feria quinta compensetur.

Idem ut supra

§. 430. 2. Quibusdam tamen feriatas mane collationi literariae operam dabunt, sicut supra fuit stabilitum: vespere autem erit tempus liberum, poteruntque recreationis causa intra septa monasterii sanctae Crucis deambulare a fine completorii usque ad noctis initium, dummodo cætera omnia fiant juxta horarum distributionem supra stabilitam,

Idem ut supra

§. 431. 3. Tempore feriarum, sive a prima die julii usque ad ultimam septembris scholares tam philosophi, quam theologi, et passantes a rectore in duas partes divisi ad sancti Georgii villam, quam monasterium sanctae Crucis ad id liberam dare tenebitur, minime vero in aliam partem mittentur; ut ibi spatio triginta dierum utilium unaquæque pars illam sumat recreationem, quæ solet *Brevia* nuncupari. *Bull. Rom. Tom. VII.*

liquo tamen feriarum tempore intra collegium habitantes, licet a lectionibus, exercitiisque literariis sint liberi, semper lectioni spirituali, orationi mentali, atque studio matutino, et nocturno juxta distributionem temporis verni supra stabilitam vacabunt.

§. 432. 4. Lectores emeriti, et actuales, atque magistri, sive lectores sint, sive non sint (privilegia quippe illis non conceduntur, quia doctoratus laurea decorati sunt; sed quia in congregationis utilitatem laboribus incumbunt literariis) ad collegii villas, aut monasteriorum, vel ad eadem monasteria, prout ipsi elegerint, ire poterunt, ut ibi a quocumque labore immunes per totum feriarum tempus recreationem habeant, quæ vulgo dicuntur *Brevia*; dummodo id rectori, atque priori illius domus, quam elegerint, prius notum faciant, si ad monasteria, vel eorum villas ire selegerint.

Idem ut supra

§. 433. 5. Hac autem ipsa facultate, sicut etiam prædictis feriarum tempore, ac loco uti poterunt cæteri canonici lectores, et magistri, qui fuerint in aliis domibus, seu monasteriis commorati, ut ibi quaecumque scientiam, vel artem regulares, aut sæculares etiam edoceant.

Idem ut supra

CAPUT XIV.

De reddituum contributione, ac administratione, aliisque peculiaribus ordinationibus ad collegium spectantibus.

§. 434. 1. Cum Sapientiae collegium in commune totius congregationis bonum sit institutum, sufficientesque redditus, quibus subsistere possit, non habeat: statuimus, ut eidem collegio cætera monasteria pro singulis scholaribus collegii habitatoribus totidem centum sexaginta quinque aureos annuatim contribuant quousque proprios stabiles, sufficientesque redditus possideat, vel ex aliorum monasteriorum bonis a capitulo generali perpetuo stabiliantur; pater vero generalis, et collegæ sub præcepto obedientiae tenebuntur hanc summam per singula monasteria juxta uniuscujusque redditus distribuere: illorumque priores eodem præcepto, et aliis pœnis constringent, ut singuli partem sibi distributam ad collegium mittant temporibus consignatis.

De redditibus
collegii.

§. 435. 2. Idem collegium circa bonorum, ac reddituum administrationem, et cætera omnia, quæ his statutis non fuerint contraria, sicut alia

De administra-
tione reddi-
tuum.

monasteria, juxta constitutiones gubernabitur. Et quemadmodum cætera monasteria procuratorem eliget, mittetque ad capitulum generale; quamvis ad præfatum capitulum ex eodem collegio plures deveniant lectores emeriti.

Declaratio
quod mona-
sterium s. Cru-
cis.

§. 436. 3. Nullus eorum, qui præfati collegii fuerint habitatores, tenebitur unquam sanctæ Crucis monasterium adire, ut officiis divinis in choro intersit, aut in ecclesia concionetur, aut alicui adsit solemnitati.

De cursu theo-
logia in colle-
gio instituen-
do.

§. 437. 4. Theologiæ cursus in collegio semper instituetur: quod si philosophiæ curriculum extra collegium aliquando instituat (in monasterio scilicet, in quo chorus non recitetur, sed vel cantetur quotidie, vel altiori sonu recitetur) ibidem hæc statuta, quoad fieri possit, observabuntur: scholaresque chorum adibunt in iis festivitibus, quibus magistri substituti, et passantes adstringuntur.

De libris, et
tractatibus ty-
pis mittendis.

§. 438. 5. Quoties lector, aut magister, aut alius quicumque hujus congregationis canonicus aliquem librum, vel tractatum, qui typis tradendus sit, elucubraverit priusquam prælo edatur, facultatesque de jure postulentur, hujusmodi opera ad patrem generalem, et collegas deferenda sunt; ut respectu illorum fiant, quæ circa theses publicas supra jam fuerunt statuta.

De scolis col-
legii.

§. 439. 6. Magistri, passantes, et scholares collegii accolæ, qui habitualiter fuerint ita infirmi, ut ex testimonio medicorum studiis operam dare nequeant, a patre generali, et collegis in alia transferentur monasteria, ubi convalescant, ad studiaque iterum capessenda habiles reddantur. Qui autem crimina gravia patriverint, vel studiis incumbere contumaciter noluerint, si ter admoniti, et correpti non respiciant, e collegio expellantur, atque voce activa, et passiva per decem annos privabuntur, processu prius in forma juris instaurato, et sententia juxta ordinem, et formam in his constitutionibus præscriptam definitiva prolata.

De removen-
dis a cathedris

§. 440. 7. Si quis proinde lector, aut magister fuerit graviter scandalosus et ineptus, vel siæe justa causa, et ratione docere cum possit, sive cathedram sibi legitime collatam moderari noluerit, perpetuo cunctis magisterii privilegiis privabitur, spatiumque trium annorum voce activa, et passiva carebit, nisi tempus docendi supra stabilitum jam adimpleverit, sententiaque in forma juris prius prolata.

§. 441. 8. Cæterum quando infirmitatis, aut alicujus culpæ causa canonici e collegio in alia monasteria transferuntur, expensæ fieri debent ex collegii redditibus: quando emenso jam theologiæ cursu transmittuntur, expensæ fiunt ex redditibus monasterii, quo transferuntur; quando lectores, et magistri feriarum tempore ad monasteria exierint, expensæ itineris fiunt a collegio; et quando redierint ad collegium expensæ fiunt a monasterio, unde venerint.

De infirmis
sublevandis.

P A R S IV.

De capitulo generali, visitoribus, capitulo privato, seu definitorio, capitulo conventuali, et harum constitutionum obligatione.

CAPUT I.

De capitulo generali, ac personis, quæ ad illud convenire debent, vel possunt.

§. 442. 1. Capitulum generale nihil est aliud quam cætus primariorum patrum totam congregationem representans, cujus utique duo sunt fines præcipui; electio nimirum præpositi generalis, de qua dictum est in secunda parte, et visitatio, ac reformatio generalis, de qua nunc superest agendum.

De capitulo
generali.

§. 443. 2. Capituli vocales erunt prior generalis (qui vocem activam habere, ac præses ordinarius capituli una cum duobus consiliariis tam in monasterio sanctæ Crucis, quam in cæteris omnibus) nec non priores, et procuratores conventuum, quos illi per suffragia secreta decima quinta die ante capitulum generale eligent, vel qui illorum locum erunt legitime suffecti: nulli alii in capitulo sit locus, nisi quis a legitima potestate extraordinarius præses fuerit constitutus.

De vocalibus
capituli.

§. 444. 3. Licet autem singula monasteria unum tantum mittere debeant procuratorem ad capitulum, monasterium tamen sanctæ Crucis duos eliget, atque mittet, quoniam illius prior, quatenus prior in capitulo vocem non habet: monasterium itidem Mafre duos etiam eliget, atque mittet procuratores, quia non solum numerum valde magnum incolarum habet, sed etiam plu-

De procurato-
re ad capitu-
lum mittendo.

ra monasteria, quæ suos procuratores ad capitulum mittere solebant, eidem in perpetuum reperiuntur unita.

De forma procurationis.

§. 445. 4. Et unusquisque conventus certam fidem capitulo generali faciet de electione, institutione, ac potestate suorum procuratorum, idque literis suis per conventus scribam exaratis, atque sigillo conventuali munitis. Forma vero ejusmodi procurationis, ac potestatis esse poterit hoc modo.

Idem ut supra

§. 446. 5. *In Dei Nomine Amen. Noverint omnes presentes literas inspecturi, quod in monasterio N. diocesis N. canonicorum regularium sanctæ Crucis Collimbriensis omnes, et singuli canonici capitulares ejusdem monasterii institimus, et ordinamus in procuratorem nostrum certum, et specialem domnum N. ejusdem monasterii canonicum, ut in capitulo, ac reformatione generali in monasterio sanctæ Crucis hoc præsentis anno celebrando omnia, quæ per nos, aut majorem nostrum partem subscripta ostenderit, in nostro nomine proponat: si qua vero alia proposuerit suo ipsius nomine, aut eorum, quorum subscriptionem ostenderit, proposita habeantur. Insuper concedimus ei plenam in omnibus, et singulis ad præpositi generalis electionem, et confirmationem attinentibus faciendi, tractandi, consentiendi, affirmandi, contradicendi, revocandique potestatem. Quam potestatem etiam illi concedimus in omnibus, et ad omnia, quæ in præfato capitulo visitatione, ac reformatione generali fuerint ad examinandum, ac definiendum præposita, dicta, et tractata, quæ quomodolibet attineant, aut attinere possint ad statum, ac utilitatem congregationis nostræ, dummodo secundum jus, et constitutiones Nostras fiant. Quod si de jure ad effectum hujus procurationis fuerint aliæ clausulæ magis speciales necessariæ, nos eas habemus pro in eadem expressis. In quorum omnium fidem has procurationis nostras literas feri fecimus a nobis subscriptas et sigillo nostro conventuali signatas et ego dominus N. scriba conventus easdem scripsi die . . . mensis N. . . . anni millesimi N.*

De officio procuratorum.

§. 447. 6. At ubi dicti procuratores electi, et publicati fuerint quousque proficiscantur in tempore, ac loco a silentio liberis, poterunt a religiosis de literis, ac supplicationibus, quas ad capitulum generale mittunt, instrui, præsertim vero si quid habuerint, de quo apud visitatores capituli de patre generali, ejusve substituto, aut collegis

conqueri possint, quod nimirum injuriam sibi in visitatione fecerint, vel in suis officiis deliquerint.

§. 448. 7. Procuratores vero has religiosorum supplicationes, ac literas quidquid contineant, et alias quascumque scripturas sibi traditas in virtute sanctæ obedientiæ tenebuntur acceptare, et iis, ad quos mittuntur fideliter reddere.

Idem ut supra

§. 449. 8. Verum hi procuratores ita per conventum electi, ac publicati non possunt ab eodem revocari, nisi examinata prius causa ab omnibus capitularibus in præsentia prioris, qui hujusmodi causæ judex erit. Si tamen iidem procuratores antequam a monasterio suo egrediantur, infirmitate, aut alio quocumque modo legitime fuerint impediti, conventus eligent, ac instituent alios procuratores juxta formam supradictam.

Idem ut supra

§. 450. 9. Si autem in capitulo generali jam constituti fuerint reprobati, alii eorum loco ab eodem capitulo eligentur ex domo ipsa, in qua capitulum generale celebratur: sicut etiam fiet, cum prior aliquis morte, aut alia ratione in capitulo vacaverit, nisi sit rector collegii. Qui tamen hoc modo fuerit substitutus, vel subrogatus, licet incola sit ejusdem domus, unicum tantum feret suffragium in electione præpositi generalis. Sed si procurator reprobatus ex domo fuerit, in qua capitulum fit, aut ex collegio Sapientiæ, repetita electione, alius ejus loco subrogabitur a primis constitutionibus.

De procuratoribus reprobatis.

§. 451. 10. Priores quoque, ac procuratores ad capitulum euntes generale, simul ibunt, nec in itinere separabuntur, nec monasterium, in quo præfatum capitulum celebrandum est, usque ad sabbathum dictæ dominicæ secundæ post Pascha ingredientur.

De iis, quæ a priore, et procuratoribus faciendæ sunt in capitulo.

§. 452. 11. Quod si aliquis prior, morbo, aut alia ratione legitima, ac ad capitulum eat, fuerit impeditus, ad illud mittet literas suas, assignatasque in eis rationes, ob quas ire nequeat, facietque suum procuratorem, ac substitutum ex ipsa domo, in qua sit prior ut in capitulo ipsius locum teneat.

Idem ut supra.

§. 453. 12. Si nec prior venire ad capitulum nec conventus possit mittere procuratorem, literis datis, statum monasterii sui, temporalem, et spiritualement capitulo exponet. Si vero prior aliquis, sine legitima ratione recusaverit, aut neglexerit ire ad capitulum generale, et conventus suum mittere procuratorem, voce carebunt ea vice in

Idem ut supra

capitulo, nec eam poterunt aliis committere, ad arbitriumque ipsius capituli punientur.

Idem ut supra.

§. 454. 13. Priores insuper ad capitulum secum ferent rationes omnium, quæ in singulis monasteriis tempore administrationis suæ accepta, et expensa fuerunt; itemque debitorum, et creditorum datorum, et emptorum causas adscriptas, explicatas; et a camerario, ac scriba conventus primum confectas, atque juratas, deinde a consiliariis monasterii subscriptas, nec non etiam instrumentum a majore sacrista, et scriba conventus conscriptum, ac juramento firmatum, quo certum fiet cunctis missarum, et legatorum obligationibus fuisse satisfactum.

Idem ut supra.

§. 455. 3. Has vero reddituum, et missarum rationes præsentabunt, tradentque statim in secunda capituli sessione, ut de quantitate honorum, ac proventuum monasterii, de totoque statu rei familiaris capitulo constare possit; alioquin ab eodem capitulo expellentur, vocem in eo activam, et passivam non habebunt, acriter corripientur, et alii eorum loco, sicut fuit jam dictum substituentur.

Idem ut supra.

§. 456. 15. Præter priores, et procuratores generali capitulo interesse tenebuntur vicarius monasterii sanctæ Crucis, et sex proximè elapsi triennii definitores; eidemque interesse poterunt lectores emeriti, et ex-generales, quibus omnibus, priores simul secum euntibus necessaria ad iter suppediabant.

Idem ut supra.

§. 457. 16. Cæterum in capitulo generali nunquam admittentur, nec vocem habebunt activam duo consanguinei fratres, nisi sint priores, aut lectores emeriti: habebit autem vocem in capitulo generali activam magister novitiorum sanctæ Crucis, ut moris est.

CAPUT II.

De loco, tempore, ac modo celebrandi capituli generalis.

De loco quo capitulum generale celebrandum erit.

§. 458. 1. Quo institutum, et reformatio hujus congregationis diutius perseveret incorrupta, statuimus, ut priores, et procuratores omnium monasteriorum, et alii canonici, qui tenentur, vel possunt interesse capitulo generali ad illud celebrandum singulis trienniis in monasterium sanctæ Crucis conveniant.

De tempore celebrandi capitulum.

§. 459. 2. Convenient autem sabbatho ante dominicam secundam post Pascha, in qua recitabitur evangelium

= *Ego suum pastor bonus* = et statim feria secunda proxima, finita prima, in singulis monasteriis congregationis pro felici successu capituli generalis missa de Spiritu Sancto decantabitur conventualiter, ac solemniter: eidemque in monasterio sanctæ Crucis intererunt omnes dicti patres, præeritque, sicut etiam in omnibus actibus capituli generalis, usque ad electionem novi præpositi generalis ille, qui proxime generalatu functus est, non tamen sub titulo generalis, sed præidentis duntaxat.

De modo celebrandi capitulum.

§. 460. 3. Antequam vero sacrum peragatur, fiet signum campanæ ad capitulum generale iocandum, ad quod omnibus in loco ad capitulum destinato congregatis, fiet ab aliquo canonico gravi, ac docto, cui a patre generali fuerit injunctum, brevis sermo super causam præsentis congregationis. Eoque finito, manentibus solis dictis prioribus, et procuratoribus, cæterisque vocalibus, prosequantur in nomine Domini capitulum, visitationem, et reformationem generalem.

De ordine sedendi in eo.

§. 461. 4. Sedebunt autem in prima capituli sede ipsius præses, ad dexteram præsidis prior monasterii Mafrensis utpote regii patronatus; ad sinistram secretarius capituli; deinde in latere dextero priores, eorumque substituti juxta ordinem antiquitatis monasteriorum, et immediate infra priores, illorumque substitutos, lectores emeriti juxta ordinem *jubilationis*, ut vocant: e regione vero, sive in latere sinistro primum ex-generales, deinde sex ordinis definitores, qui proximo triennio functi sunt officiis suis, substitutus nempe, collegæ, ac definitores; deinde vicarius monasterii sanctæ Crucis, ejusdemque magister novitiorum, deinde procuratores monasteriorum, secundum antiquitatem uniuscujusque domus.

De instrumentis exhibendis

§. 462. 5. Cunctis jam in capitulo sedentibus, in primis monasteriorum procuratores præsentabunt chartas, sive instrumenta procurationum suarum, quibus examinatis, ac probatis, omnes statim per secreta suffragia a præside capituli cum duobus immediatis prioribus excipienda (secundus enim prior ad sinistram præsidis sedebit, et omnia scribet quousque secretarius capituli eligatur) in secretarium designabunt unum ex corpore ipsius capituli virum gravem, et ad excipienda quæque acta capituli tum ingenio, tum manu promptum, ac idoneum, qui decreta omnia,

et acta ab initio usque ad exitum capituli distincte, ac ordinate scribat, accepto prius a præside juramento, quo se obliget ad servandam fidelitatem, veritatem, ac secretum in omnibus, quæ ad munus suum pertinuerint.

§. 463. 6. Deinde ex se ipsis per secreta suffragia tres eligent in visitatores monasterii sanctæ Crucis, qui quidem erunt non ex eodem monasterio, sed ex aliis domibus, et omnes similiter in manibus præsidis juramento promittent, se munus suum recte, ac fideliter gesturos. Hasque lectiones, sicut et omnes alias, quæ deinceps in capitulo celebrantur, scrutabitur præses ipse cum immediato prælato, ac secretario.

§. 464. 7. Post visitatores, electos eodem modo eligentur quinque definitores, qui quoniam cum ipso capitulo expirant; definitores capituli dicuntur, ut distinguantur a definitore ordinis, quorum officium toto triennio durat, et postea eligi debent, ut postea dicetur. Sumentur autem in definitores ex diversis monasteriis ad ampliorem rerum congregationis notitiam, et ex gravioribus, et magis spectatæ virtutis, ac sapientiæ patribus, ad quos quinque accedent præses ipse capituli, atque secretarius.

§. 465. 8. Nominabuntur quoque voce tenus non solum quatuor ex ipsius capituli gremio, qui rationes reddituum, ac bonorum cujuslibet monasterii attente examinent, ac introspiciant; sed etiam alii, quibus negotium aliquod speciale, si opus fuerit indagandum, atque expendendum committatur; ut postea in capitulo referant, ac exponant, quod ipsis fuit commissum.

§. 466. 9. Si tandem contigerit ex magno impedimento bellorum, pestis, aut ex alia causa valde gravi capitulum generale in monasterium sanctæ Crucis celebrari non posse; pater generalis simul cum sex ordinis definitorebus id in aliam domum, quæ magis expedire eis videbitur, transmūtabit. Et in hoc casu conventus sanctæ Crucis sex mittet procuratores, in quibus compromittet, ut ipsius nomine, simul cum capitulo generali priorem dicti monasterii, præpositamque generalem totius congregationis eligant; qui quidem in ipso generali capitulo eligi, et confirmari debet.

§. 467. 10. Finito autem capitulo, statim pater generalis electus, et confirmatus proficiscetur in monasterium sanctæ Crucis, ubi deducetur ad cho-

rum a canonicis cantantibus= *Te Deum laudamus* = cæteræque fient cæremoniæ consuetæ præter confirmationem. Cum eo quoque ibunt visitatores, qui eundem confirmarunt, ad visitandum monasterium sanctæ Crucis, consiliariosque de more solito eligendos.

CAPUT III.

De iis, quæ in capitulo generali sunt faciendæ.

§. 468. 1. Visitatoribus capituli generalis, ac definitorebus constitutis, statim visitatores præcipient campanam pulsari, ut congregetur totus conventus monasterii sanctæ Crucis. Deinde faciet eorum primus, seu electione antiquior admonitionem aliquam, sive exhortationem de religionis observantia: jubebuntque, si opportuerit, coram omnibus legi caput de visitationibus, et ea, quæ ibi continentur executioni dabunt; ac protinus ad suæ visitationis munus complendum se conferent; quemadmodum de visitationibus ordinariis infra dicetur.

§. 469. 2. Hi autem visitatores quoad crimina, quæ jure suffragii privant, auctoritatem habent cognoscendi, et inquirendi non solum de habitatoribus monasterii sanctæ Crucis; sed etiam de aliis omnibus, qui ad capitulum generale in eodem conveniunt.

§. 470. 3. Et si quem vel subornasse, vel aliquid ex memoratis criminibus admisisse, juris ordine servato, constiterit, eum visitatores, si fuerit ex incolis dicti monasterii, per se solos; si vero fuerit ex vocalibus capituli generalis, accitis in consilium, ac iudicium definitorebus ejusdem capituli, vel absolute, seu quoad omnes actiones celebrandas, vel quoad aliquam illarum pro ratione suscepti criminis voce activa, et passiva privabunt, a capituloque, si videbitur, excludent, et culpam cum probatione remittent ad visitatores domus, in qua reus inhabitat, ut reliquis juris, vel harum constitutionum penis suo afficiatur tempore.

§. 371. 4. Quod si culpatus fuerit aliquis ex definitorebus prædictis, illo absente, res a reliquis decidetur; si vero fuerit præses ipse capituli, ejus loco præerit visitorum primus in eo actu duntaxat; nam capituli præside quacumque ratione ab eo excluso, aut alias impedito, præsentia ad domus Mafrensis priorem devolvitur.

De iis, quæ in capitulo generali sunt faciendæ.

Idem ut supra

Idem ut supra

Idem ut supra

De suffragiis
loreudiis.

De electione
visitatorum.

De examinato-
ribus ratio-
num.

Declaratio spe-
cialis.

De absolutio-
ne capituli.

§. 472. 5. Si qua proinde crimina a patre generali, vel substituto, vel collegis, vel definitoribus proxime elapsi triennii respectu officiorum suorum commissa ad capitulum delata fuerint, aut ab aliquo denuntiata, præfati visitatores simul cum definitoribus ejusdem capituli denuntiationes hujusmodi, denuntiatis inde recedentibus, cognoscent, expendent, ac judicabunt, justisque pœnis afficient delinquentes. Sententiam tamen contra quemcumque ex omnibus supradictis latam visitatores in capitulo publicabunt.

Idem ut supra

§. 473. 6. Interim vero dum visitatores muneri suo incumbunt, præses ipsius capituli cum secretario, atque definitoribus quascumque supplicationes capitulo factas examinabunt, facultates, sive licentias postulantis concedendas, vel denegandas perpendent; constitutiones, ordinationes, definitiones, decreta, et mandata communia, sive ad totam congregationem, sive ad aliquod illius monasterium pertinentia efformabunt; et negotia quælibet, vel commune, vel particulare congregationis spectantia inter se conferent.

Idem ut supra

§. 474. 7. Postquam vero fuerint omnia sic examinata, discussa, et formata unamquamque definitionem, vel ordinationem jam efformatam, et alia cuncta non acervatim, sed singulatim capitulo generali referent, explanabunt, ac proponent. Cuncti deinde vocales ejusdem capituli de unaquaque definitione, vel determinatione, aliisque singulis suffragia, sive sententias ferent: et illud, quod a majori parte capituli sic fuerit approbatum, vel jussum, vel decisum robor, ac vim habebit, et a secretario capituli conscribetur.

Idem ut supra

§. 475. 8. Ibidem præterea, eodemque modo per suffragia cunctorum vocalium nominabuntur sæcularium confessarii, et concionatores designabuntur; qui laurea doctorali decorandi sunt instituentur lectores, magistri, passantes, ac scholares philosophiæ, vel theologiæ: eligentur procuratores generales Ulyssipponensis, et Portugallensis; rationes reddituum cujuslibet monasterii approbabuntur, aut reprobabuntur, cæteraque similia peragentur.

Idem ut supra

§. 476. 9. Ea tamen, quæ majoris fuerint momenti, pridie quam tractentur, palam in capitulo proponi debent; cum autem negotium aliquod grave, sive ad totam congregationem, sive ad aliquod ejus monasterium, sive ad personam privatam, domesticam, vel ex-

traneam pertineat tractandum, ac decidendum fuerit; suffragiis secretis, et usitata calculorum ratione sententiæ dicentur.

§. 477. 10. Eritque perpetuum in capitulo generali, et etiam in aliis particularibus, et conventualibus, ut valeat, ac vincat sententia majoris partis; quæ major pars intelligenda est comparatione totius cœtus, non autem minorum partium. Quod si paribus suffragiis res suspensa fuerit, iterum ferantur suffragia; si adhuc paria sint ferantur tertio, et præses capituli, altero calculo addito, rem discutiet.

Idem ut supra

§. 478. 11. Absolutis itaque, et expeditis omnibus generalibus, et particularibus negotiis, redigentur in scriptis omnes expeditiones, nominationes, constitutiones, definitiones, ordinationes, ac decreta, et legentur publice coram omnibus vocalibus capituli per ipsius secretarium, ab omnibusque subscribentur.

Idem ut supra

§. 479. 12. Postea rector, ac regens collegii Sapientiæ, atque sex ordinis definitores, substitutus nempe, et collegæ patris generalis, ac tres visitatores monasterii sanctæ Crucis per secreta suffragia, sicut fieri consuevit, ab omnibus ejusdem capituli vocalibus, eligentur.

Idem ut supra

§. 380. 13. Mox ad electionem, et confirmationem prioris sanctæ Crucis, totius congregationis præpositi generalis, modo, ac forma in secunda harrum constitutionum parte præscriptis devenient. Solet tamen ante electionem generalis præmitti brevis sermo ad ipsam pertinens, cui omnes tam a capitulo generali, quam a conventu sanctæ Crucis intererunt; præsidebuntque in hoc actu visitatores, et inter eos, qui fuerit primus, seu creatione antiquior.

Idem ut supra

§. 481. 14. Electo autem, et confirmato patre generali, nulla in capitulo (in quo ipse jam deinceps præsidebit) electio fiet, nisi aliquis ex præelectis officialibus ad generalatum fuerit assumptus, cujus proinde loco alium subrogari oporteat; nulla nova constitutio condetur; nihil, quod in capitulo tractatum jam sit, rursus tractari, ne dum retractari, immutari poterit; nihil denique de novo proponetur, nisi aliquid recurrat, quod personæ ipsius generalis assistentiam requirat; vel siquid de generali, substituto, aut aliquo ex reliquis visitatoribus superioris triennii, sit in visitatione denuntiatum, quod in officiis suis illi deliquerint, subindeque a visitato-

Idem ut supra

ribus in capitulo referri debet, ac proponi.

CAPUT IV.

De potestate, ac exitu capituli generalis

De potestate capituli.

§. 482. 1. Capitulum generale plenam potestatem, ac jurisdictionem circa spiritualia in tota congregatione habebit; volumusque, ut quibuscumque negotiis tam generalibus, quam particularibus omnium, et cujuscumque ipsius congregationis monasteriorum omnia, et singula, quæ per omnes, aut per eorum majorem partem, qui in eodem capitulo vocem habuerint, statuta, ordinata, et definita fuerint, firmiter observentur quandiu per aliud capitulum generale non fuerint revocata.

Idem ut supra.

§. 483. 2. Hæc autem potestas, et jurisdictio capituli generalis circa res intelligitur, quæ in utilitatem, aut damnum alicujus boni spiritualis, aut observantiæ regularis, visitationis, aut reformationis totius congregationis, aut alicujus domus cedunt. Nam rei, et bonorum temporalium administratio, et gubernium generaliter, ac ordinarie pertinet ad priores cum suis consiliariis, et conventibus quamquam in casibus extraordinariis, qui commune bonum ejusdem congregationis tangant, fas erit capitulo generali de bonis illius temporalibus disponere, auditis tamen primis singulis monasteriis: si vero hæc absque justâ causa renuerint, penes ipsum capitulum generale coactionis jurisdictionis in tali casu residet.

De novis constitutionibus faciendis.

§. 484. 3. Sed si capitulum generale voluerit de novo facere, et constituere aliquam, vel aliquas constitutiones, quæ sint futuræ perpetuæ, aut in jam factis constitutionibus aliquid addere, minuere, mutare, aut corrigere; id, quod sit de novo, fecerit, et constituerit, addiderit, minuerit, aut correxerit in uno capitulo generali, non habebit robur, aut vim constitutionis, nisi convenient, et consentiant in eo saltem duæ ex tribus partibus eorum, qui in eo vocem habuerint, et hoc modo per duo capitula immediate sequentia fuerit approbatum.

De legibus novis condendis.

§. 485. 4. Utque præterea lex aliqua condita in uno capitulo, et approbata in duobus immediate sequentibus, habeat vim constitutionis, opus est, ut a primo capitulo usque ad secundum recipiatur sub titulo constitutionis inchoantis, a secundo usque ad tertium dicatur *constitutio currens*, a tertio ve-

ro, si in eo probata fuerit, habebit vim *constitutionis confirmatæ*.

§. 486. 5. Verum constitutiones, seu leges, quas de novo fecerint, constituerint, atque addiderint interea temporis observabuntur: ea tamen, quæ jam factis constitutionibus minuerint, mutaverint, aut correxerint, non observabuntur quousque per tria dicta capitula generalia continua, sive non interrupta fuerint approbata: postea vero cuncta, quæ dicto modo constituerint, addiderint, minuerint, mutaverint, aut collegerint, perpetuo servabuntur, habebuntque vim constitutionum confirmatarum. Sed animadvertere debet capitulum generale hanc potestatem addendi, mutandi, minuendi, aut corrigendi constitutiones jam factas minime ei concedi circa vota substantialia religionis, nec circa obligationem clausuræ, sive ipsius juramentum: circa hæc enim dispositio istarum constitutionum erit perpetuo constans, et immutabilis, ut in se est absque ulla declaratione, aut interpretatione, quam omnino, et sub obedientiæ pœna prohibemus omnibus, et singulis congregationis individuis tam in communi, quam in particulari: si tamen aliquid ob justam, vel justas causas addendum, mutandum, minuendum, corrigendumve necesse sit circa dicta tria vota substantialia religionis, vel circa clausuram, ejusque juramentum hoc apostolica auctoritate tantummodo fiet, literis apostolicis ad id supplicatis, et impetratis de communi totius congregationis consensu, minime vero aliter, nec alio modo sub pœna infallibilis nullitatis, quæ nequaquam subsanari poterit.

De observantia novarum legum, et constitutionum.

De casibus reservatis.

§. 487. 6. Poterit quoque idem capitulum generale casus aliquot pro tota congregatione reservare; in hac tamen reservatione caute procedet, ne jugum alioquin suave nimis durum constituat; amarum enim quandoque nimietas, quod poterat condire mensura. Quamobrem non nisi pauca, graviora, et rariora crimina reservabit, quæ scilicet ternarium numerum non excedant.

Declaratio specialis.

§. 488. 7. Non habebit tamen capitulum generale, aut aliud quodcumque hujus congregationis membrum potestatem ullam consentiendi, ut institutum ejusdem congregationis mutetur, aut præpositus generalis, vel priores quovis modo ultra triennium durare possint: quinimo pro religionis, et harum constitutionum indubitatis adversariis habebuntur quicumque id fieri postulaverint, vel consenserint.

Aliud men-
tum peculiare.

§. 489. 8. Notandum est etiam, quod præses capituli non habet majorem potestatem, quam quilibet aliorum ipsius capituli, præterquam in foro conscientiae; potest nihilominus negotia proponere, et illorum rationes explanare. Quod si rogatus noluerit quodlibet negotium proponere, id efficiet quilibet alius de corpore capituli, cæteri-que tenebuntur de rebus sic propositis sententias dicere.

De tempore
quo protendi
poterit capitu-
lum generale.

§. 490. 9. Non poterit autem capitulum generale protendi ultra quindecim dies, nisi ex gravi aliqua necessitate, si duobus ex tribus partibus ejusdem capituli ulterius procedendum esse videatur, neque ipso durante ulli eorum, qui in eo vocem habent, ire licebit extra monasterium, in quo capitulum celebratur, nisi ex aliqua necessitate, et facultate ipsius capituli, exceptis tantum cancellario, et doctoribus, si universitatem adire opus fuerit.

De processu
visitatorum.

§. 491. 10. Cum ergo visitatores processui suæ visitationis finem imposuerint; pœnitentiasque culparum decreverint, atque illarum cathalogum, suæque visitationis instrumentum confecerint, et omnia supradicta ad exitum fuerint jam producta, cuncti vocales in capitulo adunati, et in terram se prosternantes, dicent = *Confiteor Deo ec.* Præpositus vero generalis confert absolutionem juxta facultatem sibi competentem, sicut fieri solet in vigilia Nativitatis Domini, dabitque omnibus benedictionem, qua capitulum generale finitum, et completum habetur.

Idem ut supra

§. 492. 11. Statim dicti visitatores ad scrutandas lectiones consiliariorum monasterii sanctæ Crucis, approbandosque electos procedent absque mora. Deinde totum conventum ad capitulum veniarum convocabunt, visitationem suam eidem publicabunt, eamque exequentur juxta formam infra præscribendam. Quibus peractis, tam visitatores ipsi, quam reliqui omnes vocales capituli generalis ad monasteria sua cum pace remeabunt.

CAPUT V.

De visitationibus ordinariis

De visitationi-
bus ordinariis.

§. 493. 1. Singula hujus congregationis monasteria bis unoquoque priorum triennio visitabuntur. Harum visitationum prima fiet in medio ejusdem triennii, secunda in fine, ad quas visitationes dictis temporibus faciendas, visitatores sub præcepto obedientiæ obli-

gamus, nulla alia vocatione, aut requisitione spectata.

§. 494. 2. In medio igitur cujuslibet triennii, videlicet prima die octobris anni secundi pater generalis, et collegæ tenebuntur e monasterio sanctæ Crucis proficisci ad visitationes in cæteris monasteriis successive conficiendas: quibus finitis, illico definitores ordinis, seu visitatores sanctæ Crucis hoc adi-
bunt monasterium, ut illud visitent, in eoque definitorium celebrent.

§. 495. 3. In fine vero triennii visitatores capituli generalis monasterium sanctæ Crucis visitabunt, sicut fuit jam dictum: et peracto, ac dimisso capitulo generali, collegioque Sapientiæ visitato, atque illius rectore confirmato, pater generalis, et collegæ intra quindecim dies a dimissione capituli, vel intra octo a visitatione collegii proficisci tenebuntur in alia monasteria visitationes, ac lectiones facturi.

§. 496. 4. Quod si pater generalis infirmitate, aut alio quocumque modo impediatur, nec ideo tamen præfatæ visitationes, vel capitulum privatum ad aliud tempus deferri poterunt: sed ex templo substitutus loco patris generalis assumet ex officio, ac substituet dum idem generalis fuerit impeditus. Si vero cæteri visitatores quovis modo impediuntur, eorum loco eligentur alii, sicut fuit in secunda parte stabilitum. Si tandem aliquis ex visitatoribus inter visitaandum moriatur, reliqui duo tertium ex gravioribus ipsius monasterii canonicis voce tenent eligent, qui simul secum visitationem compleant ejusdem domus.

§. 497. 5. Porro in visitationibus triennii dimidiati visitatores inquirent, corrigent, punient, ac emendabunt generaliter, tum priores, tum cæteros congregationis religiosos ad eum, qui sequitur modum.

§. 498. 6. Postridie statim quam ad visitandum quodlibet monasterium accesserunt, nisi fuerit dies festus, mandabunt ad capitulum signum dari, ad quod omnes religiosi ejusdem monasterii convenient. Postea visitator primus ad conventum breviter sermocinabitur de ratione adventus, ac visitationis suæ, exhortans interim religiosos ad religionis observantiam, prout ipsi Deus inspiraverit.

§. 499. 7. Deinde præcipiant in virtute sanctæ obedientiæ quæ conven-
tui, ut unusquisque posthabito amore, odio, timore, ac favore, doctrinam

-observans evangelicam, pura, ac vera dicat, de quibus recte fuerit interrogatus, tam circa priorem, quam alios religiosos, monasterii statum, et aliam quaecumque rem emendatione dignam.

Idem ut supra. §. 500. 8. Præcipient etiam cunctis religiosis, ne conventicula faciant, neque de visitationis negotio tractent, aut loquantur, se se invicem ad aliquod falsum in visitatione dicendum, aut veritatem celebrandam inducentes.

Idem ut supra. §. 501. 9. Quoniam vero subditi frequenter a prioribus suis in capitulo veniarum corripuntur, et emendantur, præcipimus visitoribus, ne in perquirendis, ac puniendis eorum culpis levibus se se detineant; sed si quæ hujusmodi ad eos deferantur, illarum correctionem remittant ad priores, ad quos utique visitandos, et corrigendos, visitatores præcipue destinantur.

Idem ut supra. §. 502. 10. Non admittant quoque denunciations culparum, quas subsequæ sunt aliæ visitationes: solum quippe denunciari poterunt in prima visitatione postquam commissæ sunt, vel in secunda, si de illis in prima non constiterat; nisi forte de aliquo gravi crimine determinate quod sciverint proflare jubeantur.

Idem ut supra. §. 503. 11. Non admittent etiam ad ordinariam inquisitionem eos, qui adhuc versantur in schola novitiorum, sed tantum canonicos capitulares, nisi relati sint, de aliis testibus, aut forte culpa gravis aliqua probanda sit, solisque testimoniis capitularium probari nequeat; tunc enim testimonia non solum eorum, qui ad tyrocinium pertinent, sed etiam sæcularium, si opportuna fuerint, recipi debent, et valebunt.

Idem ut supra. §. 504. 12. Caveant tamen visitatores, ne leviter omni spiritui credant, nec quemquam ex sola suspitione, aut præsumptione contemnant: idcirco a denuntiantibus diligenter quærant, quomodo in notitiam devenerint culparum, omnesque circumstantias temporis, loci, et cæteras, quibus culpæ minui, vel augeri possunt.

Idem ut supra. §. 505. 13. Non poterunt etiam visitationes hujusmodi protendi, neque visitatores manere in eodem monasterio ultra quindecim dies, si visitandum sit monasterium sanctæ Crucis, aut Mafra, et ultra decem dies in cæteris monasteriis.

Idem ut supra. §. 506. 14. Cæterum in fine triennii visitationes fiant eodem prorsus modo, ac in medio triennii, nisi quod ratione electionis futuri prioris antequam visitatores suam incipiant inquisitionem

cantatur solemniter missa de Spiritu Sancto.

§. 507. 15. Deinde incipit capitulum generale, si visitatio fiat in monasterio sanctæ Crucis; visitatoresque in ipso electi faciunt culparum inquisitionem; et in fine capituli generalis procedunt ad ejus exequutionem, et consiliariorum electionem modo supra dicto.

§. 508. 16. In aliis vero monasteriis statim, finita missa de Spiritu Sancto, se recipiunt visitatores in domum aliquam destinatam inquisitioni faciendæ, quam sub secreto usque ad absolutam futuri prioris, consiliariorumque electionem, et confirmationem habebunt, nisi privandus sit aliquis jure suffragii, secundum ea, quæ supra dicta sunt.

§. 509. 17. Electo autem, et confirmato priore, ad eandem inquisitionem tractandam, finemque visitationi imponendum redibunt, atque præteritarum visitationum instrumentarum pent.

CAPUT VI.

De inquisitione a visitoribus faciendâ.

§. 510. 1. Postquam visitatores in cubiculum visitationi paratum se receperint, et unum ex se ipsis in secretarium destinarint, qui denuntiationes, aut testificationes a primo quidem visitatore, ipsisque testibus subsignandas scribat, atque incolarum domus visitandæ cathalogum præ manibus habuerint, singulos capitulares successive ad se vocare facient, a singulisque, priusquam ad interrogationes respondeant, de veritate dicenda recipient jurementum.

§. 511. 2. Deinde unumquemque interrogabunt primo de conventiculis, conventionibus, suasionibus, ac promissionibus, quas tum priores, tum alii religiosi visitationem timentes interdum facere possunt, ut eidem contradicant visitationi, et an præteritæ visitationis instrumentum bene fuerit observatum.

§. 512. 3. Inquirant secundo de statu, ac pace domus: an scilicet priores cum subditis, et subditi cum prioribus pacem et concordiam habeant, an officiales rite obeant, vel compleant officia sua, an officium chori semper integre, juste, ac decenter compleatur? An monasterii redditus indebite, et cum damno ipsius locentur, aut ejusdem bo-

Idem ut supra

Idem ut supra

Idem ut supra

De inquisitione a visitoribus faciendâ

De interrogationibus faciendis.

De aliis inquisitionibus faciendis.

na contra jus alienentur? An quindenaria solvantur, vel pecunia quotannis ad eam solvenda in ærario reponatur, vel inde quidquam auferatur? An domus sit, et qua ratione, debitis gravata?

Idem ut supra

§. 513. 4. Inquirent tertio de priorere, num videlicet regulam, et constitutiones ordinis, definitiones, et mandata capituli generalis, instrumentaque visitationum custodiat, et custodire faciat? Num capitula veniarum frequenter agat? et culpas sine personarum acceptione castiget? Num subditis bonum exemplum præbeat, eisque de necessario victu, et vestitu provideat? Num intra clausuram semper resideat, aut a monasterio egrediatur, præterquam in casibus capite de clausura consignatis, nisi ut aliquod regibus, aut principibus obsequium præstet? Num sit prudens, ac diligens in monasterio, tam circa spiritualia, quam temporalia regendo? Num legatorum, et cappellarum obligationes, missas, et anniversaria compleri fecerit? et in fine cuiuslibet anni rationem illarum a sacrista exegerit? Num subditis exeundi a clausura præterquam in casibus constitutionum facultatem dederit? Num aliquem novitium receperit sine iis conditionibus, quæ in capite de illorum receptione sunt præscriptæ? Num absque mandato capituli redditus communes locaverit, aut aliquod ædificium, vel opus construxerit? Num aliquid aliud emendatione dignum patraverit?

Idem ut supra

§. 514. 5. Inquirent quarto quomodo, in religione servanda, se habeant singuli religiosi: utrum nempe castitatem, obedientiam, paupertatem, silentium, abstinentias, clausuram, modestiamque observent? Utrum choro semper intersint? Orationi mentali nunquam desint? Missas frequenter celebrent? reprehensiones humiliter suscipiant? Literarum studio diligenter incumbant? Erga superiores, et se invicem quoque reverenter se gerant? Debitaque in sermonibus, vestibus, et actionibus honestatem servent? Utrum denique ex culpis gravioribus, vel etiam gravibus aliquam fortasse commiserint?

De responsionibus scribendis.

§. 515. 6. Quæcumque vero testes ipsi, vel denuntiantes ad præfatas interrogaciones responderint, seu denuntiaverint, secretarius scribet, priusque visitator cum denuntiante, vel teste subsignabit.

Mentum speciale.

§. 516. 7. Illud autem notandum, quod si quis aliquid emendatione, denuntiationeve dignum sciverit, tam de

priorere, quam de cæteris religiosis, tenetur etiam non interrogatus id dicere si tale fuerit, ut probari possit, aut sit publica fama divulgatum.

§. 517. 8. Notandum est etiam, interrogaciones ita debent fieri, ut non personæ, sed vitia dumtaxat nominentur, nisi forte crimen aliquod sit jam ab aliquibus testibus denuntiatum, vel fama publicum; quapropter visitatores ita caute se gerent, ut nulla nascatur infamiae, vel dedecus, quibus antea non erat, aut si erat, ne augeatur juxta illud, quod in regula scriptum est » *Ne forte possit secretius correptus non innotescere cæteris* », ac ideo quidquid in visitatione fuerat dictum semper in secreto continebunt.

Aliud monitum ut supra.

CAPUT VII.

De iis, quæ a visitatoribus, finita inquisitione, fieri debent.

§. 518. 1. Inquisitione peracta, si visitatores invenerint aliquid emendatione dignum de priorere, vel quocumque religioso a duobus, vel tribus testibus fuisse dictum, culpato vacabunt, sacerdotesque audient sedentes, reliquos autem stantes.

De iis, quæ finita inquisitione fieri debent.

§. 519. 2. Si qui vero confiteantur quod de illis fuit denuntiatum, aut ipsis negantibus fuerit probatum; id scribant in suo memoriali, ut finita sua inquisitione, coram omnibus in capitulo reprehendantur, et juxta culpæ qualitatem puniantur.

Idem ut supra

§. 520. 3. Qui tamen fuerint accusati, seu denuntiati de culpa aliqua secreta, tantum in secreto corripiantur, aut etiam coram iis tantum, qui delicti fuerint conscii, dummodo iisdem assistentibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipiant visitatores, ut in secreto id contineant.

Idem ut supra.

§. 521. 4. Si illorum excusationes non satisfecerint, nec tamen in capitulo coram omnibus castigari debeant, eos rursus accersitos reprehendant, ipsisque justam pœnitentiam secreto imponent, quam quidem illi genibus flexis accipient, ac adimplebunt.

Idem ut supra

§. 522. 5. Deinde visitationis suæ component instrumentum, in quo scribent ea, quæ secundum Deum, et has constitutiones viderint emendatione digna. Maxime tamen cavebunt, ne in hujusmodi instrumento scribant culpas personam nominantes, nisi culpæ sint manifesta crimina eorum, quos incor-

Idem ut supra

regibiles esse deprehenderit, vel qui alicujus magni scandali, aut perturbationis publicæ fuerunt auctores.

Idem ut supra.

§. 523. 6. Quod si necessarium judicaverint, poterunt in alio instrumento secreto scribere culpas graviores, quas invenerint ab aliquibus fuisse commissas, notatis in eo nominatim earum auctoribus, et pœnitentiis, quas illis injunxerint, quo futuri visitatores possint facile agnoscere, num eas impleverint, et se se emendaverint. Hoc tamen instrumentum relinquent clausum, ac sigillo munitum in quodam scrinio intra communitatis arcam ad id deputato, scribentes foris in eodem instrumento, ne quis aperire audeat, nisi visitatores ipsorum successores, quibus dandum est ab iis, qui custodiant illud, ut ab ipsis postquam lectum fuerit, comburatur.

Idem ut supra.

§. 524. 7. Mox composito quoque memoriali pœnitentiarum, quas delinquentibus decernunt in capitulo totius conventus, primum expedient, ac dimittent eos, qui ad tyrocinium pertinent, quibus dimissis primus visitator clamabit de delinquentibus. In primis priorem corripient, si corripendus sit, eique suam infligent pœnitentiam, in eum præcipue advertentes quem circa subditorum culpas in capitulis veniarum declamandas, ac puniendas, remissum invenerint, ac negligentem.

Idem ut supra.

§. 525. 8. Semper tamen respectum habebunt, attenteque ad officii laborem, ac dignitatem: idcirco priori, qui perstiterit in officio aliam non imponent pœnam præter jejunia, orationes, et flagellationes, quæ ab ipsis visitoribus infligantur; itemque, ut solo pane, et aqua reficiantur, nisi culpæ sint graviores; tunc enim deponi, suspendive poterunt, sicut infra dicitur.

Idem ut supra.

§. 526. 9. Dein cæteris canonicis capitularibus pœnitentias pro ratione culparum imponent iam taxatas; harum tamen pœnitentiarum exequutio vel statim fiet per ipsos visitatores, vel si temporis angustia non permiserint, postea fiet per priorem, et hujusmodi pœnitentias taxabunt, constituentque secundum ea, quæ de culpis in prima parte fuerunt præscripta.

Idem ut supra.

§. 527. 10. Præcipue vero corripient eos, qui frequenter a prioribus suis correpti nullum ostendunt emendationis fructum, sed in eisdem culpis contumaciter perseverant. Si quos autem inveneriat pacis, et concordia perturbatores, vel adversum priorem, ejusve

mandata rebelles; vel qui occultant ea, quæ sciunt, veritatem tacentes interrogati, vel qui de prioribus suis, cæterisque religiosis male denuntiant: eos graviter punient, corrigent, ac emendabunt.

§. 528. 11. Maxime tamen curabunt visitatores, ut observata ordinis disciplina domum visitatam in pace dimittant, neque relinquunt capitulo generali quæstiones determinandas, quas ipsi iudicio suo potuerint determinare.

§. 529. 12. Tandem vero legant publice in eodem capitulo instrumentum visitationis, quod relinquunt, cujus forma poterit esse ad eum, qui sequitur modum.

§. 530. 13. In Nomine Domini Amen. Dominus N. et domus N. visitatores monasterii N. visitavimus dictum monasterium tam in capite, quam in membris, idque emendavimus, ac reformavimus quantum commode potuimus, et humana fragilitas patitur; specialiter autem reprehendimus hæc, et hæc, et ordinamus, ac præcipimus illa, et illa Instrumentum hoc publicatum fuit omni conventui in capitulo datum anno Domini etc. » subscribantque illud, ac tradant scribæ conventus, præcipientes, ut in prima futura visitatione ipsum tradat visitoribus.

§. 531. 14. Deinde priori, cæterisque omnibus præcipient in virtute sanctæ obedientiæ, ut nemo illorum quempiam directe, vel indirecte inquietare præsumat, quia sciverit, vel suspicatus fuerit aliquid contra se in visitatione dixisse, nec ei unquam hæc de causa verbo, vel opere gravis existat, quibus peractis, finem capitulo visitationis imponent, statimque abeant in pace.

§. 532. 15. Sed antequam visitatores e domo exeant visitata, ejusdem visitationis acta communia, et ordinaria apprimè claudent, sigilloque munitur conventuali, et in quodam scrinio trium clavium ad id deputato inclusa apud se conservabunt usque ad capitulum generale, in cujus fine omnia sic sigillata, et oclusa cremabuntur, et hæc omnia facere tenebantur ipsi visitatores in virtute sanctæ obedientiæ.

CAPUT VIII.

De criminibus, ob quæ deponendi sunt prælati.

De criminibus
ob quæ depo-
nendi sunt
prælati.

§. 533. 1. Si visitatores in visitationibus suis invenerint aliquem priorem incurrisse in crimen aliquod ex illis, quæ continentur in capite de culpis gravioribus, aut in simoniam manifestam, aut in crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, vel in falsificatione literarum apostolicarum, vel principum, aut in pravam cum aliquibus concordiam ad transmutandum hujus congregationis institutum, vel præcipuas illius constitutiones abrogandas, vel impediendum, ne capitula generalia, prælatorumque electiones statutis temporibus celebrentur: id separatim juxta formam juris conscribent; auditoque summam priore reo, sententiam depositionis ferent, et in capitulo publicabunt, dicentes eidem coram omnibus » *Sedeatis in loco vestro* » statimque ad alterius prioris electionem procedent.

Idem ut supra

§. 534. 2. Vicarius autem illius domus habebit ejusdem regimen in spiritualibus, et temporalibus quoad futurum prior eligatur. Quo electo, et confirmato, visitatores conventui publicabunt visitationem, quam fecerant, capitulumque terminabunt quemadmodum supra fuit jam dictum.

Idem ut supra.

§. 535. 3. Quod si visitatores monasterii sanctæ Crucis repererint priorem illius domus aliquod ex supradictis criminibus, propter quæ cæteri priores sunt deponendi cum his: non tamen eum visitatores ipsi soli deponent, nec ab officio suspendent, sed convocabunt in capitulum privatum alios ordinis visitatores in ipso monasterio sanctæ Crucis habitantes, ubi presidente substituto, si omnes sex, vel saltem duæ ex tribus partibus ipsius capituli, memoratum priorem amovendum esse ab officio judicaverint, tunc eum deponent, a generalatuque vacabit ipso facto, vicario interim, dum novus prior eligitur, domus curam suscipiente juxta modum, et formam de aliis prioribus supradictam.

Idem ut supra.

§. 536. 4. Visitatores deinde per literas dicti generalis vacationem cæteris prioribus indicabunt: qui quidem priores in virtute sanctæ obedientiæ tenebuntur intra quindecim dies personaliter adesse in monasterio sanctæ Crucis, ut eidem de priore, congregatio-

neque de præposito generali provideant: et poterunt etiam cum prioribus venire canonici, qui ex privilegio interesse possunt capitulo generali quamquam monasteria neque eligere, neque mittere debeant procuratores.

§. 537. 5. Porro visitatores, qui priorem sanctæ Crucis totius congregationis generalem deposuerint; electionem futuri generalis scrutabuntur, et electum confirmabunt; in ea tamen electione vocem passivam non habebunt.

§. 538. 6. Idem visitatores si a prioribus, vel quocumque vocali fuerint requisiti, tenebuntur coram omnibus ejusdem capituli vocalibus rationem reddere, cur priorem totius congregationis generalis deposuerunt, dummodo ea requisitio intra duos dies ab electione, et confirmatione fiat, sin minus ipsi visitatores adibunt.

§. 539. 7. Cæterum, quia minus requiritur ad non confirmandum electum quam ad removendum ab officio jam confirmatum: si quis in priorem, vel consiliarium alicujus domus eligatur, de quo in visitatione constet culpam aliquam admisisse, ob quam voce activa, et passiva privari debeat, quamvis non sit ex numeratis hoc capite, eum tamen visitatores non confirmabunt, sed hæc omnia conventui exponent, ut alterum eligant.

CAPUT IX.

De visitatione extraordinaria.

§. 540. 1. Quamvis a correctione paterna debito modo facta, nemo appellare debeat, quia tamen justa defensio nulli deneganda est quoties hujus congregationis conventus, vel religiosus aliquis se a prælati suis injusto gravamine appressum senserit, recurrere ad ipsorum superiores valebit modo, ac forma sequenti.

§. 541. 2. Si conventus, vel religiosus aliquis, aut religiosi monasterii sanctæ Crucis a priore ipso generali, et solo, vel cum suis consiliariis, aut conventu injuste graventur: ille, vel illi, qui ita graventur humiliter rogent eum, ut ab illato gravamine desistat. Quod si desistere noluerit, intellexerintque necessarium esse ad visitatores recurrere, atque visitationem petere integrum factum, ejusdemque facti rationes scripto exponent visitoribus.

§. 542. 3. Visitatores autem postquam literas ejusmodi querelæ, seu

De querelis
excipiendis.

facti notitiam acceperint, statim super eo consilium inter se per literas quoque habebunt, factumque ipsum, et facti rationes sedulo perpenderit. Quibus rite perpensis, ac examinatis, si judicaverint casum, sive materiam non esse visitationis, id rescribant ad recurrentes, ut humiliter, ac patienter sustineant. Si vero intellexerint materiam esse visitationis extemplo scribent ad ipsum priorem generalem, ut statim a gravamine desistat sub determinatis pœnarum comminationibus.

De correctione prioris.

§. 543. 4. Quod si memoratus prior adhuc noluerit a gravamine desistere, transactis decem diebus a tempore, quo visitatores scripserunt, illico tenebuntur in virtute sanctæ obedientiæ visitatores ipsi ad monasterium sanctæ Crucis proficisci; ubi de præfato gravamine inquisitionem, ac visitationem conficiant, utriusque partis rationes audient, causam definitive judicabunt, culpatoque acriter punient, vel recurrentes si non fuerant injuste gravati, vel prælatum, si fecerat injustum gravamen.

De aliis superioribus corrigendis.

§. 544. 5. In aliis autem monasteriis si quis gravamen aliquod a superiore vel solo, vel cum consiliariis, aut conventu patiat, ad patrem generalem, et collegas recurrat, et in hoc recursu, tam a recurrentibus, quam a patre generali, et collegis, sub eisdem pœnis, et præcepto servabuntur omnia quæ, respectu monasterii sanctæ Crucis, et visitorum illius supra præscripta sunt.

De pœnis contra impediētes recursus.

§. 545. 6. Ordinamus proinde sub pœna culpæ gravis, ut nemo etiam si sit præpositus generalis, hujusmodi visitationes, et recursus impedire, vel propterea religiosos, qui visitationem petierint inquietare, aut molestia qualibet afficere præsumat.

Declaratio specialis.

§. 546. 7. Cœterum pater generalis ex officio poterit cum collegis inquirere, ac decernere de quocumque gravamine, aut necessitate aliorum monasteriorum congregationis, etiam a nullo ipsorum conventuum, aut a persona aliqua particulari requisitus: quod itidem, eodemque prorsus modo respectu monasterii sanctæ Crucis poterunt illius visitatores.

CAPUT X.

De capitulo privato, seu definitorio

§. 547. 1. Capitulum privatum, seu definitorium a patre generali, substituto, collegis, tribusque ordinis definitioribus, sanctæ Crucis visitoribus, bis fiet singulis trienniis in monasterio sanctæ Crucis: primum quidem post generale capitulum, confectis jam electionibus, cunctisque monasteriis visitatis, secundum vero in medio triennii statim postquam visitatio monasterii sanctæ Crucis fuerit facta.

De præside definitorii.

§. 548. 2. His autem capitulis pater generalis, aut eo quacumque ratione impedito, substitutus præerit: qui quidem præsidens cuncta ibi tractanda, vel decernenda proponat, majoremque suffragiorum partem sequi semper tenebitur. Si vero præsidens quidquam proponere detrectaverit, unusquisque aliorum id proponere valebit, cæteri que omnes suffragia ferre adstringuntur, quemadmodum si a præside ipso proponeretur.

De materiis in eo tractandis.

§. 549. 3. In his capitulis de communi totius congregationis, privatoque monasteriorum statu agatur, singulis in medium proferentibus quid noverint opus esse, ut omnia congregationis membra in charitate, pace, justitia, regularique observantia firmiter perseverent. Ideoque singulis monasteriis de habitatoribus, qui ad chori monasterium ad concionandum, ad confessiones excipiendas, ad theologiam moralem explicandam, et similia fuerint necessarii providebitur.

Idem ut supra

§. 550. 4. Religiosorum quoque libelli ex uno in aliud monasterium transferri supplicantium ibidem expedientur. Nam in capitulo generali oblectiones, visitationesque futuras ordinarie non fient hujusmodi translationes, neque ante prædictas electiones executioni mandabuntur, licet concedantur, cum æquum non sit, ut quispiam a domo, in qua inhabitat, prius quam visitetur, transmigret in aliam, et crimina, quæ ibi fortasse commisit, impunita remaneant.

§. 551. 5. Non poterunt tamen canonici a definitorio transferri, sive mutari ex una in aliam domum, nisi propter ipsorum supplicationes, justam mutationis causam assignantium, vel ad infirmitatem aliquam sublevandam, vel ob crimina puniēda, aut scandala vi-

De translatione canonicorum.

tanda, vel propter necessarium alicujus domus servitium, seu ministerium.

Declaratio specialis.

§. 552. 6. Verum hæc necessitas monasteriorum non ad placitum definitorii solummodo computari debet, sed prius exponenda erit ab illorum prioribus definitorio; deinde audiendus est etiam prior illius domus, unde canonicus, aut canonici ab ipso jam designati definitorio transferendi sunt, forsitan quippe domus ipsa, in qua degunt, eandem habebit necessitatem, et æquum non est altare unum denudari ad vestiendum aliud: tandem vero definitorium, vel consentientibus prælatis utriusque domus, vel comprobata majori alterutrius necessitate, canonicum, sive canonicos transferet, aut relinquet, prout magis expediri in Domino judicaverint.

De potestate definitorii.

§. 553. 7. In eodem quoque definitorio nulla constitutio, vel definitio ad totius congregationis statum pertineans denuo condi poterit neque mutari, vel aboleri, quæ per generale capitulum definita, ac decreta fuerint: neque illis se intromittere, quæ per has constitutiones eidem capitulo generali commissa sunt, privatis dumtaxat casibus exceptis, de quibus in capitulo generali non fuit cogitatum, si periculum fuerit in mora, aut boni communis, alicujusve privatæ domus congregationis damnum timeatur.

Idem ut supra

§. 554. 8. Sciendum tamen est, quod quando capitulum generale non providet, neque disponet de rebus, quæ ad ipsum pertinent, necessarioque fieri debent, eo ipso censentur commissæ definitorio: qualis est nominatio rectorum, procuratorum generalium, scholarium philosophiæ, aut theologiæ, et alia hujusmodi.

Idem ut supra

§. 555. 9. Sciendum est etiam præter hæc duo capitula ordinaria præposito generali fas esse, extraordinarium quoque definitorium, et interdum etiam aliquem, vel aliquos ex prioribus convocare, cum per temporis decursum aliquod negotium, vel negotia ardua occurrerint, quæ ad capitulum generale deferri nequeant.

Idem ut supra

§. 556. 10. Nullum denique ex prædictis capitulis ultra duodecim dies protendi poterit; neque ulla fiat translatio canonicorum post terminatum medii triennii definitorium usque ad capitulum generale, nisi ægritudinis, criminumve, aut alia urgentissima necessitate, seu causa.

CAPUT XI.

De expensis, quæ fiunt tempore capituli generalis, definitorii, ac visitationum.

§. 557. 1. Ea, quæ durante capitulo generali tum ad victum priorum, procuratorum, aliorumque vocalium, et eorundem servitorum, tum ad alimentum equorum fuerint necessaria, expensis monasterii, in quo generale capitulum celebratur, comparabuntur; cætera vero, quibus dicti vocales ad iter opus habuerint, iidem a suis monasteriis, in quibus habitant, accipient.

De expensis necessariis ad capitulum.

§. 558. 2. Eodem modo sumptus, qui fiunt a visitoribus ratione suarum visitationum, dumque veniunt ad capitulum privatum, exceptis itinerum, fient expensis domus, quæ visitatur, aut in qua definitorium habetur.

Idem ut supra

§. 559. 3. Cum generale capitulum, vel definitorium, aut pater ipse generalis cum collegis suis (quando his transferre conceditur) religiosum aliquem ex una domo in aliam transtulerint, domus in qua degebat illi necessaria ad iter præbebit. Cum vero domus aliqua in priorem, aut in consiliarium elegerit quempiam, vel ad negotium, aut ministerium quodlibet sibi peculiare vocaverit, sive postulaverit aliquem, ab ipsa domo eligente, aut vocante, fient expensæ.

Idem ut supra

§. 560. 4. Si pater generalis quemquam accerserit negotium aliquod, vel sibi, vel suæ residentiæ domui conficiendi causa, monasterium sanctæ Crucis, illi expensas itineris, tam in adventu, quam in reditu suppeditabit. Si vero negotium ad commune totius congregationis bonum pertineat, omnia monasteria pro rata impensas suppeditabunt: dummodo et negotium, et expensæ certo constent singulis monasteriis.

Idem ut supra

§. 561. 5. Infirmis demum, qui convalescendi, aut recreationis causa ad aliquod congregationis mittuntur monasterium, prior ipse domus, quam incolunt, omnia, quibus opus habuerint, præbere tenebitur.

Idem ut supra

CAPUT XII.

De capitulo conventuali, communique theca nummaria.

De capitulo conventuali.

§. 562. 1. Capitulum conventuale nihil est aliud quam cœtus canonicorum capitularium in aliqua domo cujuscumque monasterii cum superiore suo adunatorum. Hujus autem capituli est honorum, ac reddituum monasterii dominium, administrationemque habere.

De iis, quæ in eo pertractantur.

§. 563. 2. Hinc terrarum, bonorum, reddituumque monasterii locationes, emptiones, venditiones, permutationes, acquisitiones, donationes, alienationes, dispositiones, et quicumque contractus celebrandi, servatis semper conditionibus a jure requisitis, ad capitulum pertinent conventuale.

Idem ut supra.

§. 564. 3. Ad ipsum quoque spectat ædificia, vel quæcumque opera facienda determinare; lites movendas, aut substinendas, et negotia quælibet intra, vel extra congregationem gerenda in commune definire: monasterii prælatos, et consiliarios eligere, atque novitios ad tyrocinium, professionemque admittere, et approbare, vel reprobare, quemadmodum in capite de novitiorum receptione fuit stabilitum.

Idem ut supra.

§. 565. 4. Superiores itaque omnia hæc, et similia priusquam fiant, capitulo conventuali proponere, majoremque suffragiorum sequi partem, si adstringuntur, ut non solum quidquid aliter factum fuerit, irritum sit, ac inane, sed etiam, qui secus fecerit, pœna culpæ gravis, et suspensione ab officio pro mensura delicti sint puniendi, ut in paritate votorum selectio erit præsentis.

Idem ut supra.

§. 566. 5. Siquis insuper de corpore capituli ea, quæ in eodem capitulo proponuntur, differri postulet in alteram diem, ut quæ in uno capitulo fuerint proposita, decidantur in altero: id fiet licet unus tantum sit capitularium, qui hoc requirat, nisi sint lectiones priorum, et consiliariorum, aut tantum periculi sit in mora, ut in rem statim discernere opus sit. Et cum aliquod magno momenti negotium ibi fuerit propositum, si ab aliquibus, ut requiratur, decidendum erit per secreta suffragia: horumque scrutatores erunt præses ipse capituli cum immediato consiliario, et scriba conventus, sicut fieri solet in receptione novitiorum.

Idem ut supra.

§. 567. 6. Cum præterea dubitaverit superior, an aliquod negotium oc-

currens capitulo proponi debeat nec ne dubitationem tenebitur simul cum consiliariis intra biduum resolvere, ac determinare. Si quis igitur capitularium quodlibet negotium in capitulo proponi debere censuerit, id priori, consiliariisque supplicabit, ut ab ipsis determinetur.

§. 568. 7. In iis demum capitulis omnes canonici capitulares ipsius domus accolæ sacros ordines habentes definitivo gaudebunt suffragio: unusquisque palam, ac libere in iis dicat supremam præpositam quidquid justum esse judicaverit: nec propterea superiores quemquam ibi punire valebunt; si quis enim verbis, aut factis ibi, sicut et alibi deliquerit, postmodum in capitulo veniarum a superiore corripietur, et emendabitur.

Idem ut supra.

§. 569. 8. Si tamen res aliqua, vel negotium in capitulo conventuali decernendum alicujus ex vocalibus ejusdem capituli fuerit, aut ipsius consanguineorum usque ad quartum consanguinitatis gradum; hic ab eodem capitulo egrediatur, interea dum res ipsa proponitur, ac determinatur, quod item in capitulo generali, definitorio, similibusque cœtibus, aut tribunalibus observabitur semper.

Idem ut supra.

§. 570. 9. Ut autem redditus, et bona communia melius, ac tutius administrantur, erit in quadam uniuscujusque monasterii secreta domo ad id ordinata quædam arca, seu theca nummaria tribus diversis clavibus semper occlusa, quarum primam habebit prior, secundam camerarius, tertiam scriba conventus, nullusque duas simul habere poterit.

Idem ut supra.

§. 571. 10. In hac vero arca omnis pecunia ex redditibus, fructibus, et bonis communibus proveniens reponatur, atque inde camerario, procuratori, aliisque officialibus ad expensas communes a præfatis claviculariis necessaria pecunia dabitur; nihil tamen inde extrahi poterit, quia prius id a scriba conventus scribatur, sive referatur in librum quemdam in eadem arca inclusum, ad idque destinatum, et ab iisdem tribus claviculariis, officialique pecuniam recipientes subscribatur.

De arca pecuniarum.

CAPUT XIII.

De obligatione, interpretatione, et lectione istarum constitutionum.

De poenis in peccantes contra constitutiones.

§. 572. 1. Illud tandem in calce istarum constitutionum sciendum est, neminem scilicet, qui contra eas aliquid commiserit, ad ullam penam illarum, quæ hic constituuntur, obligari, nisi cum illius superior penam ipsam, et nominatim ob culpam admissam indixerit: excepto tamen si in constitutione scriptum sit ejus culpæ reum ad penam in constitutione taxatam teneri ipso facto.

Idem ut supra

§. 573. 2. Sed ne ad peccatum quidem mortale, aut veniale harum constitutionum violatione quisquam obligatur, nisi violando juramentum clausuræ; vel quando aliquid reperitur in eis præceptum in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub excommunicationis pœna; aut propter contemptum, aut aliunde, sive si alio ex capite obligetur.

Idem ut supra

§. 574. 3. Siquid autem in his constitutionibus, aut in aliis secundum istarum præscriptum condendis ambiguum, seu obscurum repertum fuerit, ejus interpretatio, vel declaratio ad capitulum generale pertinebit, ut ex sententia majoris partis vocalium, consulto etiam apostolico Portugalliæ nuntio, lex dubia declaretur, ac definiatur.

Idem ut supra

§. 575. 4. Quod si necessitas postulaverit, ut ante capitulum generale prædicta obscuritas explanetur; si dubitatio præsertim versetur circa definitionem aliquam, vel decretum capituli generalis: pater generalis cum substituto, collegis, ac definitoribus, consultis etiam per literas quatuor, vel quinque ex patribus, qui generali capitulo proxime præterito interfuerunt, legem dubiam interpretabuntur, ita tamen ut postmodum res tota ad capitulum generale approbanda, vel reprobanda deferatur.

Idem ut supra

§. 576. 5. Et quoniam per magni interest unumquemque leges, quibus parere debet, optime perceptas, et comprehensas in promptu habere; dabunt operam singuli hujus congregationis religiosi, ut constitutiones, quæ quidem ad se pertinent, diligenter addiscent, memoriæque mandent, curabuntque superiores, ut in id studium, tam universi, quam singuli incumbant in quocumque monasterio. Ac ideo sive in capitulo, sive in refectorio coram conventu bis saltem singulis annis tem-

pore adventus, et quadragesimæ, aut quo commodius visum fuerit, clara voce legantur.

Declaratio specialis.

§. 577. 6. Postremo sciendum est per constitutionum istarum confirmationem, et promulgationem cæteras omnes leges, vel privilegia, vel constitutiones, vel definitiones, vel concessionem, vel consuetudines, quæ hactenus, aut a Sede apostolica, aut a capitulis generalibus, aut reformatoribus, aut a quoquam alio fuissent conditæ, seu confirmatæ, vel etiam juramento roboratæ omnino abrogari, ita ut canonici regulares præfatæ congregationis ad has tantum præsentem constitutiones deinceps teneantur, et per eas congregatio ipsa tantummodo gubernetur.

Proces porrectæ pro confirmatione constitutionum, et tenor illius.

§. 578. Quas Nobis nuper exhibitis, ut ipsæ firmius subsistant, et serventur exactius apostolica auctoritate commuiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur prius præinsertis constitutionibus debite expensis, iisque sacri concilii Tridentini, aliisque canonicis sanctionibus, ac etiam ordinis prædicti regulis nœdum non adversari, sed apprime convenire adinventis, ac in prædictorum canonicorum in Nos, et sanctam Sedem apostolicæ fidei, et devotionis merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque precibus etiam in hac re, quantum in Domino possumus, favorabiliter anuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas constitutiones auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, et approbamus, eisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 579. Decernentes has præsentem literas, et constitutiones præinsertas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in

Clausula sublatæ, et decretum irritans.

omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 580. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, quibusvis etiam dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque; ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimo octava julii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

GD.L.

Dat. Romæ
17. junii 1785,
anno nono.

Confirmatio privilegiorum concessorum ecclesiæ sancti Nicolai civitatis Tolentini, illiusque erectio in basilicam minorem.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **S**upremus ille, et diligens pater familias, qui ab origine mundi plantavit vineam suam, universalem scilicet Ecclesiam, in eam quotidie non destitit mittere operarios, quorum assiduitate culturæ, illi vepribus expurgata fructum afferret vel centesimum, vel sexagesimum, vel trigesimum: hinc ante Incarnationem misit in eam patriarchas, et prophetas, virosque sanctissimos, qui portaverunt pondus diei, et æstus; postquam autem venit plenitudo temporis, ac Dei sapientia per assumptam humanitatem genus humanum de tenebris, et umbra mortis, in qua sedebat, eduxit, illudque a diabolicæ potestatis iugo, sub quo tenebatur, liberavit; in primis sanctos constituit apostolos, qui vineam hanc, et fidei fervore, et prædicationis verbo per universum propagarunt orbem, iisque adjuvit splendidos martyres, qui fidei lorica induti adversus potestatum tenebrarum conatus, veluti fortes Dei athletæ, inter ingentes corporis cruciatus profuso sanguine illam irrigarunt; progressi sunt, et doctores, qui suis doctrinis, et exemplo illam a falsis, et iniquis agricolis, et pastoribus defensarunt; et tandem secuti sunt confessores, qui omnia mundi blandimenta fugientes, jejuniis, ac corporis macerationibus repugnantem carnis legem in servitutem redigentes, illam per eorum sanctitatis exempla undique coruscare, ac suavissimum odorem afflare fecerunt, iter quos splendidum locum tenere videtur beatus Nicolaus de Tolentino.

§. 2. Ille enim vivens, divina in omnibus juvante gratia, corpus suum jejuniis, ac vigiliis castigando, orationibusque insistendo difficilem, et arctam vitam ingressus, unde jam pridem post irrefragabile catholicæ ecclesiæ iudicium, quo a fel. rec. Eugenio pp. IV. in sanctorum catalogo fuit adscriptus, per suas literas kalendas februarii MCCCXLVI. expeditas, inter amicos Dei cum ipso in cælis regnan-

Numerantur concessiones factæ summis pontificibus in favorem ecclesiæ civitatis Tolentini condite ad honorem sancti Nicolai.

tes ubique terrarum honoratur, et colitur. Illius autem corpus, quod cum vitis, et concupiscentiis crucifixit, singularibus signis, atque prodigiis de cælo illustratum, atque astantibus omnium ordinum studiis, ita populorum, et principum devotione clarificatum fuit, ut ecclesia in civitate Nostra Tolentini in suum honorem confecta, in qua suæ mortales exuviæ reconditæ sunt, undique celebris, ac famosa sit; quamobrem quamplurimi Romani pontifices, inter quos præsertim sel. rec. Bonifacius IX. Sixtus V., et Clemens X. omnes prædecessores Nostri, cum tot, tantisque signis servum suum omnipotens Deus in brachio extento clarificasset, et per universum terrarum orbem mirabilium præconia diffunderentur, ad magis magisque Christifidelium in ipsum excitandam devotionem pluribus privilegiis, ac gratiis spiritualibus memoratam ecclesiam cumularunt; Nosque etiam per Nostras in simili forma Brevis anno MDCCLXXIX. expeditas literas, secundum altare privilegiatum perpetuum eidem ecclesiæ concessimus.

§. 3. Venerabilium itaque prædecessorum Nostrorum exemplis Nobis propositis, eorumque vestigiis insistentes ad ejusdem ecclesiæ splendorem, ac decus augendum, cumulandumque, libenter adducti sumus, precibus etiam Nobis a dilecto filio Romano Augustino Roberti ordinis sancti Augustini congregationis observantiæ Lombardiæ procuratore generali, nomine etiam totius congregationis prædictæ hisce desuper porrectis annuentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine omnia, et singula privilegia spiritualia a memoratis prædecessoribus Nostris dictæ ecclesiæ concessa, dummodo non sint actu revocata, seu sub aliqua generali revocatione comprehensa, sed in viridi sint observantia, Nos etiam apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, et innovamus; eandem ecclesiam sancti Nicolai in basilicam minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, præeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliæ ecclesiæ basilicæ minores quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere consueverunt, auctoritate, et tenore præsentis erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse, et fore decernimus, eamque ecclesiam basilicam nuncupari, et haberi volumus.

Confirmatio
prædictarum
concessionum,
et erectio ec-
clesiæ in basi-
licam mino-
rem.

§. 4. Decernentes, hæc præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per, omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sub-
lata, et decre-
tum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque omnibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxvii junii MDCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio con-
trariorum.



Dat. Romæ
die 16 Julii
1785
anno IX.

GDLE

Convictricibus monasterii, seu congregationis sancti Philippi Neri vulgo le Filippine de urbe indulgetur, ut obtinere valeant subsidia dotalia, quæ per confraternitates urbis distribuuntur.

Dilecto filio Nostro in alma urbe vicario in spiritualibus generali.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilectæ in Christo filiæ moniales, seu convictrices monasterii, seu congregationis sancti Philippi Neri, vulgo le Filippine nuncupatæ de urbe Nobis nuper exponi fecerunt, quod ipsæ in congregatione præfata, non aliud, quam perseverantiæ votum emittant, nihilominus puellas tam de præsentem eidem congregationi adscriptas, quam in posterum adscribendas ad dotes, sive subsidia dotalia, quæ per archiconfraternitates, confraternitates, aliaque loca pia, et personas dictæ urbis ad effectum monachatus dispensari solent consequenda, ac obtinenda habilitari, atque capaces reddi plurimum desiderant, quemadmodum puellæ, quæ in monasteriis, seu congregationibus beatæ Mariæ Septem Dolorum, oblatarum turris Speculorum, sanctissimi infantis Jesu, sanctæ Rufinæ, et oblatarum Camaldulensium nuncupatarum de eadem urbe recipiuntur, quæque licet pariter nullum inibi religionis votum emittant, ad dotes tamen, sive subsidia dotalia hujusmodi admitti consueverunt; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratiâ absolventes, et absolutas fore censentes, ac quorumcumque testamentorum, aliarumque etiam ultimarum voluntatum, ac dispositionum tenores, et alia quæ-

cumque etiam specificam, et individuum mentionem, ac expressionem requirentia pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; circumspeditioni tuæ per præsentem committimus, et mandamus, quatenus monialibus, ac convictricibus prædictis, ut ipsæ dotes, et subsidia dotalia pro monachandis destinata a quibuscumque archiconfraternitatibus, confraternitatibus, aliisque locis piis urbis prædictæ, ac personis quibusvis, ad quas dotium, et subsidiariorum dotialium hujusmodi dispensatio, sive distributio nunc spectat, et pro tempore spectabit, consequi, et obtinere libere, licite, et valide possint, et valeant; ita tamen, quod eadem congregatio in forma juris valida, se obliget de restituendo dictas dotes a locis piis ipsis exponentibus collatas, in casu non perseverantiæ auctoritate apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia concedas, et indulgeas, dictasque moniales, et convictrices ad præmissa habiles, ac habiles, et capaces declares.

§. 3. Non obstantibus quorumvis testatorum, ac piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, et dispositionibus, quas propter præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non archiconfraternitatum, confraternitatum, aliorumque locorum piorum prædictorum, et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum non intendimus per præsentem supradictam congregationem in aliquo approbare. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta Julii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

Dat. Romæ
19. augusti
1785
anno nono

CDLII.

Concessio diversarum indulgentiarum assequendarum in ecclesiis clericorum regularium Theatinorum, juxta speciem operum piarum ibidem præstandarum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. **A**d ea, per quæ animarum Christifidelium salus procuratur, libenter intendimus, et eorundem Christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cœlestium munerum largitione libenter fovemus, et incitamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis clericis regularibus Theatinis nuncupatis, ac aliis utriusque sexus Christifidelibus confratribus, et consorioribus quorumlibet oratoriorum, congregationum, societatum, et confraternitatum, tam hactenus in eorundem clericorum regularium ecclesiis erectorum, quam in posterum erigendorum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos septem annos de iunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus; iis vero, qui devotioni hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus dabunt operam, et interdum vere pœnitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ, ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint misericorditer in Domino concedimus. Insuper quod dicti clerici regulares pro oratione mentali, ad quam ratione eorum regulæ, et constitutionum in duabus vicibus quolibet die tenentur, prædictas omnes indulgentias, et peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, et consequi possint, et valeant etiam in Domino misericorditer indulgemus,

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantum, valitoris. Volumus autem, ut si pro impetratione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sicut, quodque præsentium transumptis, etiam impressis alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die ix augusti MDCCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

CDLIII.

Suppressio, et extinctio archiconfraternitatis ss. Catharinæ, et Ursulæ de urbe, et concessio ejus ecclesiæ, et mansionum congregationi presbyterorum sæcularium de ecclesiastico Subsidio nuncupatæ.

Dat. Romæ
19. augusti
1785
anno nono

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **A**d uberes, ac suaves fructus, quos dilecti filii presbyteri sæculares congregationis de Subsidio ecclesiastico nuncupatæ in alma urbe Nostra sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli alias erectæ, et a felicitis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro per suas apostolicas literas die prima martii MDCCXLIX. sub plumbo datas confirmatæ in dies in eadem alma urbe afferunt, quippe quia pauperes adolescentes Romanos, qui in sortem Domini sunt vocati, ne dum ad pietatem, et sacrarum doctrinarum studia efformari, bonisque moribus imbui studeant, verum etiam temporalibus subsidiis, eorum indigentis jugiter occurrere non desistant, mentis Nostræ aciem convertentes quidquid laudabili hujusmodi instituti, felici directioni, ac progressui conferre posse conspicimus, diligenter providere, ac desuper officii Nostri partes propensis studiis interpo-

Proemium.

nere gestimus, prout in Domino expedire arbitramur.

Memoratur suppressio decreti archiconfraternitatis ss. Catharinæ, et Ursulæ urbis.

§. 2. Sane cum Nos alias multas rationabilibus de causis animum Nostrum moventibus in visitatorem apostolicum archiconfraternitatis sub invocatione, et titulo sanctarum Catharinæ, et Ursulæ in eadem alma urbe erectæ dilectam filiam Nostram Franciscum Xaverium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum cardinalem de Zelada nuncupatum deputaverimus, ac mature omnibus perpensis de ejusdem Francisci Xaverii cardinalis consilio dictam archiconfraternitatem suppressi, ac prorsus extinguere decreverimus dilecti filii presbyteri deputati congregationis prædictæ Nobis humiliter exponi fecerunt, quod cum eadem congregatio neque ecclesiam, neque oratorium obtinet, in quo aliquæ sacræ functiones juxta summi institutum exercere possit, sed dumtaxat cappella in parochiali ecclesia sub invocatione sancti Stephani in Pisciuola pariter de urbe, ibique superiori cubiculo, in quo deputati prædicti certis statutis temporibus, ad eam agenda, quæ eorum sunt instituti conveniunt, utatur ac fruatur, proficuum satis foret quoties ecclesia, et mansiones ad dictam archiconfraternitatem spectantes, ipsis concederemus.

Bona prædictæ archiconfraternitatis conceduntur congregationi presbyterorum secularium de ecclesiastico subsidio nuncupatæ.

§. 3. Nos precibus humiliter Nobis porrectis libenter annuimus; ast dum de horum remotione agebatur, dilecti filii canonici, et capitulum collegiatæ ecclesiæ sancti Marci de urbe, ob quoddam instrumentum die xxx. decembris MDCLXII. stipulatum, tamquam domini directi ejusdem ecclesiæ ob dictæ archiconfraternitatis suppressionem regressam ad eandem ecclesiam persecuti sunt, eaque propter memorati exponentes quædam pacta dominium directum ejusdem ecclesiæ significantia cum canonicis, et capitulo prædictis inierunt, hisce tamen sic conventis dilectæ filiæ moniales oblatae Turris Speculorum de urbe ob instrumentum die decima julii MDCXCIII. inter ipsas ex una, ac capitulum sancti Marci prædictum stipulatum postularunt, ut cessio dictæ ecclesiæ esset de eorum manibus acceptanda, utque quævis conventio cum dicto capitulo facta sine suo consensu nulla esset; novos itaque tractatus exponentes prædicti suscipere debuerunt cum dictis monialibus oblati, unde postmodum convocatis etiam deputatis dicti capituli sancti Marci fuerunt initæ conventiones tenoris, qui sequitur.

§. 4. I. Che siccome era solita l'archiconfraternita di presentare ogni anno al capitolo la vigilia di s. Marco libbre quattro di cera in ricognizione del diretto dominio, così questa stessa oblazione debba farsi in avvenire da un sacerdote della congregazione del Sussidio vestito di abito talare con un chierico presentando la stessa quantità di cera al canonico celebrante parato per i primi vesperi.

Tenor conventionum initarum inter capitulum sancti Marci, moniales oblate Turris Speculorum, et dictam congregationem presbyterorum.

II. Che il giorno 6. dicembre festa di s. Niccolò di Bari possa il capitolo a suo beneplacito andare in corpo a cantare la messa nella chiesa delle ss. Catarina, ed Orsola, il che s'intenda solamente finchè continuerà la congregazione del Sussidio nel possesso della suddetta chiesa. In tale occasione dovrà il capitolo portare del proprio tutto ciò, che sarà necessario, alla riserva delle candele per l'altare, e per gli accoliti, e delle torce per l'elevazione, che saranno somministrate dai deputati della congregazione del Sussidio, quali faranno ancora servire la messa cantata dai loro chierici.

III. Che non ineno di sei chierici della congregazione del Sussidio vestiti di cotta da somministrarglisi dal capitolo debbano assistere alli primi, e secondi vesperi, e messa cantata per la solennità di s. Marco. Come ancora debbano intervenire alla solenne processione, che si fa dal capitolo il mercoledì fra l'ottava del Corpus Domini, ed alle comunioni generali, che si fanno fra l'anno agl' infermi della parrocchia. I suddetti chierici vestiti di cotta, e con torcia in mano da somministrarglisi parimenti dal capitolo avranno il luogo in tutte le funzioni immediatamente dopo li canonici, con precedenza a tutti li cappellani del capitolo.

IV. Che rimanga sempre fermo il titolo della chiesa con l'invocazione delle ss. Catarina, ed Orsola, come ancora rimanga fermo in detta chiesa l'altare dedicato a santa Francesca Romana, di cui dovrà solennizzarsi la festa il dì 9. marzo; e cantarsi la messa dalla congregazione del Sussidio a sue spese.

V. Che rimangano sempre fermi i patti, e le convenzioni stabilite nei sopradetti istromenti dei 30. dicembre 1662, e 10. luglio 1693. alle quali non s'intenda fatta veruna innovazione, anzi s'intendano espressamente riservate al capitolo di s. Marco, ed alla venerabile casa di Tor de' Specchi tutte le ragioni, prerogative, e diritti,

che in vigore di detti istromenti gli competono.

Confirmatio
suppressionis
confraternita-
tis concessio-
nis honorum
et transactio-
nis inite.

§. 5. Nos igitur memoratam congregationem, ac exponentes prædictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prævia dictæ archiconfraternitatis sub invocatione, ac titulo sanctarum Catharinæ, et Ursulæ de urbe suppressione, et extinctione, prout auctoritate apostolica harum serie eam supprimimus, ac extinguimus ecclesiam una cum adnexis mansionibus alias ad archiconfraternitatem, ut præfertur, suppressam, et extinctam spectantes memoratæ congregationi presbyterorum sæcularium de Subsidio ecclesiastico nuncupatæ sub invocatione beatæ Mariæ Virginis, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli una cum omnibus honoribus, et oneribus auctoritate, et tenore prædictis concedimus, attribuimus, et donamus. Ut porro omnes præinsertæ conventiones firmitus subsistant, et servantur exactius auctoritate, et tenore paribus eas perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adiciamus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui hisce desuper intervenerint, omnino supplemus, et sanamus. Insuper ut instrumentum super præmissis conventionibus, et pactis stipuletur, volumus, ac mandamus.

Clausula sub-
lata, et decre-
tum irritans.

§. 6. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
trariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum dispositionibus, testamentis, codicillis, ac

ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, et applicationibus, illisque committendis ad partes vocatis, quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non archiconfraternitatis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus nostri anno nono.

Dat. Romæ
16. septembris
1785
anno nono.

CDLIV.

Facultas utendi velo nigri coloris pro sororibus conservatorii sanctæ Marthæ civitatis Elborensis ordinis beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo nuncupatæ.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Expositio pre-
cum.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ superiorissa, et reliquæ sorores professæ congregatæ in conservatorio sanctæ Marthæ civitatis, et diœcesis Elborensis ordinis beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo regularis observantiæ, quod, cum ipsæ jamdiu clausuræ legi sese ultro subjecerint, ac statuta regulæ ordinis beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo amplexæ sint, vitam communem observent, horas canonicas, et officia divina in choro recitent, aliaque officia, et exercitia regularia non sine populi ædificatione adimpleant, velo nigri coloris, ad instar aliarum monialium, uti posse, a Nobis concedi plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica digneremur.

Tenor concessio-
nis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut ipsæ exponentes, et futuræ dicti conservatorii sorores professæ velo nigri coloris ad instar aliarum monialium tam publice, quam privatim uti, illudque gestare libere, ac licite possint, ac valeant auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sub-
lata, et decre-
tum irritans.

§. 3. Decernentes has præsentibus litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quâdocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quos-

Bull. Rom. Tom. VII.

cumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti conservatorii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indulgentiis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio con-
trariorum.

CDLV.

Dat. Romæ
18. septembris
1785
anno IX.

Statuitur alternativa quoad officia inter fratres ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum provincie utriusque Castellæ.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **P**astoralis officii, quod, auctore Deo, gerimus, cura animum Nostrum sollicitat ad ea peculiari paternæ charitatis studio statuenda, per quæ Christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum quieti, et felici regimini opportunis rationibus consulatur.

Proemium.

§. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum Nobis nuper fuit, quod cum in provincia fratrum

Expositio pro-
cum porrecta-
rum a rege
catholico.

E e

ordinis sancti Francisci de Paula minorum nuncupatorum duarum Castellarum, ex quo provincialatus, aliaque officia ejusdem provinciæ inter nationales Castellæ Novæ reservata quodammodo viderentur, plures dissensiones, ac animorum studia inter ejusdem provinciæ alumnos exorta sint, nullum aliud remedium hisce malis, ac pro pace, et tranquillitate in eadem provincia firmiter stabilienda afferri posse arbitretur, quam instituendo alternativam, seu turnam inter fratres utriusque Castellæ, tum pro provincialatu, cum etiam pro aliis ejusdem provinciæ muneribus, ut hinc servato, quantum fieri potest, inter duas ejusdem provinciæ partes equilibrio, et æquitate omnis controversiarum occasio tollatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsius Karoli regis catholici votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac fratrum, ordinis, et provinciæ prædictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum alternis vicibus de triennio in triennium frater nationalis regnorum Castellæ, et Leonis, et suorum aggregatorum comprehensis portibus in illa ora existentibus, et frater nationalis regni Toletani, et suorum aggregatorum comprehensis portibus ex altera regione itidem existentibus in provinciam eligatur; ita ut uno triennio ex fratribus Castellæ, et Leonis provincialis deputetur, altero vero subsequenti triennio ex fratribus regni Toletani, ut præfertur, provincialis pariter eligatur, auctoritate apostolica statuimus, et ordinamus.

Declarationes speciales.

§. 4. Quoties vero provincialis ex fratribus regni Castellæ, et Leonis erit electus, tunc, ut unus dumtaxat collega ejusdem nationis nominetur; cæteri vero duo e nationalibus regni Toletani constituentur, et sic e converso pariter mandamus, sex porro definitores erunt ita inter utriusque nationis alumnos distribuendæ, ut quælibet tres obtineat; provincialis, nisi transactis tribus trienniis, et collegæ, et definitores nisi transactis duobus trienniis ad munera hu-

jusmodi reeligi non poterunt. Quod si provincialis durante suo munere moriatur, sigilla erunt consignanda collegæ suæ nationis usque ad præfixum terminum, in quo ad conficiendum triennium erit alter ejusdem nationis in provinciam eligendus; commissarius deputandus, ut capitulis generalibus adsit, erit ab ea natione sumendus, de qua non est provincialis; ita ut dictis capitulis unus frater pro qualibet natione adsistat; si autem provincialis extra regnum, ut celebrationi capituli generalis adstet, esse contingat, in vicarium provinciam unus sibi nationalis erit eligendus, sicuti pariter erit deputandus vicarius nationis provincialis, qui in eventum, quod ipse ad capitulum generale non accedat, ut capitulo hujusmodi adsit; tandem, ut omnibus occurratur futuris incommodis volumus, ut in posterum correctoratum Matritensi, et cathedræ philosophiæ alternis pariter vicibus ex utriusque nationis alumnis eligantur; ita tamen, ut nominatio prædicatorum conventualium in arbitrio provincialis dumtaxat non sit posita, sed munera hujusmodi non erunt amovibilia ad nutum, ac provincialis una cum collegiis per suffragia secreta prædicatores conventuales nominabunt, iis tamen semper prohibitis, qui cathedris theologiæ concursi erunt, quique aliis necessariis requisitis ad hanc viam sectandam usque ad jubilationis de justitia consecutionem pollentur, nisi aliter urgens causa suadeat. Prædicatores vero hujusmodi prius quam munere suo fungantur examen subire tenebuntur, cui præter provincialis collegas, et definitores duo etiam jubilati ex cathedra, quorum unus sit nationis Castellæ, et Leonis, alter regni Toletani adsistant.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit provinciæ, et ordinis prædictorum etiam juramen-

Derogatio contrariorum.

to, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava septembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDLVI.

Dat. Romæ
26. septembris
1783.
anno nono.

Licentia monialibus monasterii sancti Simeonis della Martorana nuncupati civitatis Panormitanæ egrediendi quatuor vicibus singulis annis e clausura dicti monasterii.

Venerabili fratri
archiepiscopo Panormitano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Tenor precum
porrectarum a
monialibus pro
assequenda li-
centia.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filix abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii sancti Simeonis nuncupati della Martorana ordinis sancti Benedicti civitatis Panormitanæ, quod cum ipsius civitatis aer gravis per se ipsum sit, et humanis corporibus insalubris, præsertim quibus non est liberum motu, et ambulatione se se exercere, dictum vero monasterium in ea civitatis parte situm sit, quod præ reliquis est magis sanitati noxium, unde ipsæ exponentes adversa identidem utuntur valetudine; ipsæ ad avertenda hujusmodi incommoda,

ac ut benevalentes divinis obsequiis impensius vacare possint, aliquoties infra annum ab ipsius monasterii clausura egredi posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per presentes committimus, et mandamus, ut, veris existentibus narratis, eisdem, et pro tempore existentibus dicti monasterii monialibus pro gratia, nempe quatuor vicibus singulis annis tempore veris pro duabus diebus, et aliis duabus tempore autumnii, prævia tamen tua singulis vicibus licentia auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas; ita tamen, ut accessu, et recessu in curru incedant, sine comitatu, quam personarum quotidiano servitio monasterii addictarum, et vicarii in spiritualibus generalis, vel alterius prohi, et prudentis sacerdotis a te destinandi, et præter ecclesiarum visitationem, et moram in allocutoriis aliorum monasteriorum non divertant, nec accedant ad alias particulares domos etiam nobilium ipsarum monialium consanguineorum, a virorum frequentia se abstineant, publicis spectaculis non intersint, sed eam servant modestiam, quæ Deo sacratas virgines decet, et cum aliis cauthelis per te juxta opportunitatem præscribendis, et ante solis occasum ad proprium monasterium revertantur, sub pœnis contra violantes clausuram impositis in casu contraventionis omnino incurrendis.

Tenor concessionis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, et ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

Dat. Romæ
3. octobris
1785.
Anno IX.

CDLVII.

Plenipotencia domino cardinali Pallavicinio ad concludendum quemdam tractatum super controversiis exortis inter rempublicam Venetorum, et sanctam Sedem.

Dilecto filio Nostro Lazaro Opitio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Pallavicini nuncupato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor
mandati collati
ad contro-
versias com-
ponendas.

§. 1. **P**ro paterna illa, qua dilectos filios nobiles viros ducem, et rempublicam Venetorum semper complexi fuimus, et adhuc complectimur charitate quamcumque patrem inter, et filios exortam dissectionem componi, seu potius, quamvis illius imaginem, sive umbram tolli penitus, ac dissipari cupientes motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, te, de cuius fide, prudentia, integritate, et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, ad amicabilem tractatum proponendum, ac debito fine concludendum cum dilecto filio Andrea Memo dictorum nobilium virorum ducis, et reipublicæ Venetorum apud Nos, et hanc sanctam Sedem oratore omnes controversias de, et super derivatione, et cursu tum aquarum loci della Presa, seu districtus Tessaroli Veneti padum pontificium Ferrariensem versus, seu Poazzo pontificio Ferrarese, tum etiam aquarum alterius loci in vocabulo della Veneta valle Grecona territorium versus Ferrariense distencta exortas in Nostrum, et dictæ Sedis plenipotentiarium tenore præsentium nominamus, constituimus, et deputamus, tibi que, ut Nostro, et dictæ Sedis nomine una cum memorato Andrea super controversiis hujusmodi agere, tractare, et concludere, ac conditiones, et pacta subinde conventa subscribere, et firmare libere, et licite possis, et valeas plenam, et amplam facultatem harum serie tribuimus, et impertimur. Decernentes validum, et efficax fore quidquid earumdem vigore præsentium tu egeris, tractaveris, et concluderis, id omne, quantum in Nobis est, acceptum, gratum, firmumque, ac ratum habere, nec non ob-

servare, complere, et exequi in verbo Romani pontificis promittentes.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio con-
trariorum.

CDLVIII.

Dat. Romæ
21. novembris
1785.
anno nono.

Monialibus sanctæ Catharinæ Viterbii conceditur indultum admittendi sarcinatricem intra claustra monasterii.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ priorissa, et moniales monasterii sanctæ Catharinæ Viterbii ordinis sancti Dominici, quod cum interdum tum pro vestitu puellarum inibi in educatione degentium, tum etiam pro aliqua necessitate earumdem monialium occurrat, sarcinatricem ad monasterium prædictum accersire, quæ cum intra claustra monasterii admitti nequeat, in vestibulo, seu porta ejusdem monasterii non sine aliqua indecentia, quæ ad artem suam spectant, exercere tenetur; hinc cum vestibulo, seu portæ clausuræ antiquum existat internum cubiculum, ut decori, et commoditati inseruiatur, ad cubiculum prædictum sarcinatricem introduci posse a priorissa dicti monasterii pro tempore existenti summo opere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Expositio præ-
cum porrecta-
rum a moniali-
bus monaste-
rii.

§. 2. Nos igitur dictarum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quamcumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas forte censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, priorissæ dicti monasterii sanctæ Catharinæ pro

Tenor conces-
sionis juxta
preces.

tempore existenti, ut ipsa quoties, tum pro vestitu puellarum inibi in educatione commorantium, tum pro aliis monialium dicti monasterii sarcinatricem ad dictum monasterium accersire occurrat illam dumtaxat, et in casibus hujusmodi tantum ad cubiculum intra claustra ejusdem monasterii existens contiguum portæ clausuræ introducere, et admittere libere, ac licite possit, et valeat auctoritate, et tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, et ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima prima novembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDLIX.

Dat. Romæ
21. novembris
1785.
anno nono

Monialibus monasterii sancti Dominici Viterbii indulgetur, ut admitti valeant intra claustra monasterii sacerdotem ad missæ sacrificium celebrandum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Exponunt preces portatæ a monialibus.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ priorissa, et moniales monasterii sancti Dominici Viterbii, quod cum intra claustrum dicti monasterii reperiatur altare cum pia, ac devota imagine Salvatorem Nostrum Jesum Christum crucifixum cum sanctis Joanne, et Maria Magdalena representante, ipsæ exponentes pro peculiari sua erga hujusmodi imaginem Salvatoris, quam monialibus visitantibus nuper gratias, et indulgentias spirituales, peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes concessimus, devotione sacrosanctum missæ sacrificium ad altare prædictum per suum priorem magistrum conventus fratrum ordinis Prædicatorum Viterbii, aut con-

fessarium ordinarium ejusdem monasterii pro tempore existentes, semel in anno celebrari posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica digneremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictarum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere cupientes, illasque speciali favore gratiæ prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censes, supplicationibus hujusmodi inclinati, prædictis exponentibus, ut ipsæ in die festo Assumptionis beatæ Mariæ Virginis Iminaculatæ, aut magistrum priorem supradictum, aut confessarium ejusdem monasterii, una cum ministro, qui celebranti assistat, de licentiâ ordinarii ad sacrosanctum missæ sacrificium in supradicto altari die festo ejusmodi dumtaxat celebrandum intra clausuram ipsius monasterii servatis circa præmissa canthelis de jure præscriptis, et quæ ab ordinario juxta datam sibi a Domino prudentiam erunt præscribendæ introducere, et admittere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate, et tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii prædicti, illiusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima prima novembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

CDLX.

Dat. Romæ
28. novembris
1783
anno nono.

Unio conventus Alexandrini ordinis fratrum sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, alias provincie Mediolanensi addicti, provincie Taurinensi ejusdem ordinis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Preamissis

§. 1. **E**x injuncto Nobis pastoralis muneris debito religiosorum hominum, qui contemptis illecebris hujus sæculi divinis se se obsequiis mancipantur, quieti, et tranquillitati præcipua quædam, et singulari sollicitudine providere tenemur, ut iis omnibus sublatis, quæ illorum in via Domini progressum retardare possent, majori alacritate divinis laudibus persolvendis, et Christifidelium salutis promovendæ incumbant.

Expositio precum exhibiturum a provinciali ordinis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit modernus provincialis ordinis fratrum sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum provincie Taurinensis, quod cum in nuperimo capitulo provinciali ejusdem provincie conventui Alexandrino ejusdem ordinis utilis futurum foret, quoties ille provincie Taurinensi prædictæ uniretur, et incorporaretur, deprehensum sit, quodque sic per Nos uniri, et incorporari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenore concessiois.

§. 3. Nos igitur ejusdem provincialis votis ad regularem disciplinam tuendam, ac ad ordinis prædicti felicem in via Domini tendentibus progressum, quantum cum Domino possumus benigne annuere, dictumque ordinem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et ejusdem provincialis, singularesque dicti conventus personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratum conventum Alexandrinum, prævia illius dismembratione, ac segregatione a provincia ordinis prædicti, cui in præsentiarum addictus exi-

sit, cum provincia Taurinensi dicti ordinis auctoritate apostolica harum serie unimus, jungimus, adnectimus, et incorporamus; ac unitum, conjunctum, adnexum perpetuis futuris temporibus futurum fore decernimus, et declaramus. Ita ut omnibus, et singulis juribus, exemptionibus, indultis, gratiis, et privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alii conventus ordinis, et provincie prædictorum utuntur, fruuntur, et gaudent, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possit, auctoritate prædicta concedimus, et indulgemus.

§. 4. Decerentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provincie prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima octava novembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio contrariorum.

Дат. Ромæ
5. decembris
1785.
anno nono.

CDLXI.

Subjectio seminarii episcopalis Salamantini parochialitati ecclesiæ cathedralis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Procanon.

§. 1. Cum nil tam pie, et tam fideliter episcopi in ministerio eis concredito, constituere possint, quam si nedum antiquorum canonum vestigiis inhærendo, sed etiam concilii Tridentini dispositis suffragando, seminaria ad adolescentes, qui in sortem Domini sint vocati, recte instituendos, et ad pietatem, et religionem informandos erigant, decet propterea, ut apostolica Nostra auctoritate, quoties id a Nobis petitur, ea omnia concedamus, quæ pro illorum felici progressu, opportuna fore arbitramur.

Expositio præ-
cum correcla-
rum ab episco-
po Salamanti-
no.

§. 2. Siquidem exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Philippus episcopus Salamantinus, quod cum ipse nuper in civitate Salamantina, seminarium ad formam concilii Tridentini instituerit, illudque cathedrali ecclesiæ subjecerit, ut tamen sartum, tectumque servaret jus aliorum parochorum dictæ civitatis, omnibus parochis hujusmodi, ut sua jura adversus disposita prædicta proferre possent, concessit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, duo dumtaxat parochi, nempe sancti Benedicti, et sanctorum Isidori, et Pelagii apud curiam episcopalem in judicium se sisterint, eorumque jura omnibus prius maturè perpensis a vicario generali nullius ponderis comperta fuerint, eaque propter a dicto vicario generali emanata fuerit sententia favore ecclesiæ cathedralis; hinc ut firmius subsistat, ac servetur exactius a memorato episcopo dispositum, quoad subjectionem seminarii prædicti parochialitati ecclesiæ cathedralis apostolica Nostra auctoritate maniri summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessio-
nis.

§. 3. Nos igitur in memoratum Philippum episcopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas for-

te incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia, ut præfertur, disposita quoad subjectionem dicti seminarii parochiæ ecclesiæ cathedralis apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censi, vel prætendi possent, supplemus.

§. 4. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sub-
lata, et decre-
tum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictæ ecclesiæ Salamantinæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia decembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Derogatio con-
luciorum.